REVERENDI

PATRIS F. FRANCISCI DE Victoria, ordinis Prædicatorum, sacræ Theologiæ in Salmãticensi Academia quondam primarij Professoris, Relectionum Theologicarum,

*

SECVNDVS TOMVS.



Lugduni, apud Iacobum Boyerium,
M. D. LVII.
Cum priuilegio Regis ad decennium.



REVERENDI PATRIS FRATRIS FRANCISCI A VICTORIA, ORDINIS Prædicatorum, sacræ Theologiæ in Salmanticensi Academia quondam Professoris primarii, Relectio

*

DE AVGMENTO CHARITATIS, & diminutione.

SVMMA.

1 Charitas, an augeatur per quemlibet charitatis actum: Et quomodo de hoc tres opiniones recitantur.

2 Actus intensior habitu, an augeat habitum secundum suam totam latitudinem, an solùm secundum excessum, quem habebat supra habitum.

3 Actus intensior, quòd non augeat habitum per totam suam latitudinem, sed solùm secundum excessum quem habet supra habitum, probatur.

4 Actus quilibet meritorius, quòd augeat gratiam secundum totam suam latitudinem, & non solùm secundum excessum supra habitum.

5 Charitas, quòd non augeatur per totam latitudinem actus, sed solùm secundum excessum actus supra habitum.

6 Charitas, quòd nunquam sit æqualis gratiæ, saltem in adulto.

7 Gloria, quòd respondeat gratiæ, & non charitati.

8 Opiniones secunda & tertia de augmento charitatis,

in quo differant à prima, examinatur.

9 Agentia plura quòd nunquam producant maius lumen, uel calorem in primo puncto suæ sphæræ, uel actiuitatis, quàm produceret unum illorum, quod maximum est.

10 Lumen productum quod nũquam sit maius, quàm sit lumen in maximo luminoso.

11 Charitatis per quemlibet actum quantumuis remissum, quòd mereatur quis, & habebit maiorẽ gloriam.

12 Charitatis per quemlibet actum quantumuis remissum, quòd augeatur gratia.

13 Charitatis si per actũ remissum non augetur charitas statim, quòd uoluntarium uideatur dicere, quòd augeatur in fine uitæ.

14 Habitus in augmento, an habeatur respectus non ad intensiorem actus gradualem meritorij, sed ad quantitatem meriti.

15 Habitus data opinione quòd non augeatur per actum remissum, an plures actus remißi posßint augere habitum, uel etiam unus actus continuatus posßit æquiualere in merito uni actui intenso. Et de triplici istius quæstionis opinione.

16 Meritum, quòd nullo modo proportionetur intẽsioni.

17 Meritum, quòd non solum proportionetur intentioni, sed quòd nec magna multitudo actuum remissorum æquiualeat uni actui intenso, uel perfecto.

18 Meritum quòd non duplicetur, nisi sit magna continuatio & perseuerantia in actu.

19 Habitus, quòd sine dubio augeatur, quandocunq; peruenitur ad meritum æquale cum actu intenso, siue per multiplicationem, siue per intensionem.

20 Charitas quomodo dupliciter diminuatur. Vno modo per peccatum ueniale, alio modo per mortale.

Charitas

21 *Charitas, uel gratia, an per peccatum ueniale diminuatur.*

22 *Peccatum ueniale quòd nullum poßit tollere gratiam, dato quòd quilibet tollat partem gratiæ.*

RELEGENDVS locus eſt Pauli Apoſtoli Philip.1. Oro ut charitas ueſtra magis ac magis abundet &c. Relectio habet duas partes. In prima agem⁹ de augmẽto charitatis. In ſecunda, de diminutione eius. De augmento non omnes quęſtiones tractare ſtatuimus: neque enim liceret in tam breui uitæ tempore: ſed unam elegimus, quę inter Doctores celebrior eſt, & magis ad Theologum ſpectat: & ea eſt, An* per quemlibet actum charitatis augeatur charitas. Et quidem pro parte affirmatiua arguitur, quia quilibet talis actus eſt meritorius glorię, ergo & gratię, & per cõſequens charitatis. Aſſumptũ patet, quia actus bonus relatus in Deum, eſt bonus, & meritorius, ut latè tractat S.Tho.1.2. Conſequentia patet, quia gloria correſpondet gratiæ & charitati: ergo ſi pro tali actu datur maior gloria, ergo maior gratia, & charitas.

¶ Pro parte negatiua arguitur, quia in agentibus naturalibus agens remiſſum non agit effectum intenſiorem: ergo neque actus charitatis remiſſus auget habitũ charitatis intenſum. Conſequentia probatur, quia de ſpiritualibus

& ſupernaturalibus debemus iudicare p̃ proportionem ad naturalia, niſi oppoſitum conſtet teſtimonio ſcripturarum.

¶ De quæſtione hac eſt triplex opinio. Prima tenet alterum extremum, quòd, ſcilicet, quolibet actu charitatis quantumcunq; remiſſo augetur charitas & gratia. Iſta eſt communis opinio recentiorum, eorũ ſcilicet qui nominales uocantur, ut eſt uidere apud Gabrie. in primo diſt. 17. quęſt. 4. & in 2. diſt. 23. quęſt. 1. & in eiſdem locis apud alios Doctores.

¶ Secunda opinio tenet duo: primum, quòd pro quolibet actu quantumuis remiſso datur maior gloria: ſecundum, quod per actum remiſsum non augetur charitas, aut gratia. Iſta opinio eſt Scoti in 4. & Ricard. in 2. diſt. 16.

¶ Tertia opinio tenet alterum extremum, quę dicit, quòd per nullum actum augetur charitas, niſi ſit intenſior ipſo habitu charitatis, & per cõſequens, quòd pro tali actu nõ datur maior gloria. Iſta opinio uel eſt, uel attribuitur S. Tho. 1. 2. quæſt. 52. art. 3. & 2. 2. quæſt. 24. art. 6. & in primo d. 17. & uidetur opinio modernorum Doctorum 1. d. 17. q. 8. licet fortaſſe potius ſit cum ſecunda opinione recitata. Ex his opinionibus, primo uolo examinare quod eſt commune tribus opinionibus. Commune autem eſt ipſis, quòd per actum intenſiorem augetur habitus charitatis. Circa quod reuocatur

catur in dubium, An actus * intensior habitu augeat habitum secundùm suam totam latitudinem, an solùm secundum excessum, quem habebat supra habitum. Verbi gratia, si habitus est ut quatuor, & actus intensior ut octo, an habitus ille augebitur per octo gradus, an solùm per quatuor. Et uidetur quòd actus intensior augeat habitum secundum suam totam latitudinẽ, quia aliâs non seruaretur debita proportio præmiorum ad merita. Si enim Petrus habeat actum meritorium ut quatuor, & per consequens habitum charitatis & gratiæ ut quatuor, & postea habeat secundũ actum meritorium ut octo, si actus nõ augeat habitum per totam latitudinẽ, sed solùm secundum excessum, sequitur quòd habitus charitatis & gratię in Petro erit solùm ut octo: & cùm gloria correspondeat gratiæ, etiam erit ut octo, & tamẽ habebit meritum ut duodecim. ergo gloria est minor meritis. Et iterum si Petrus & Paulus primo habeant meritum ut quatuor, & per consequens gratiam ut quatuor, & postea Paulus habeat secundum actum meritorium ut octo: iam secundùm hanc opinionem gratia Pauli erit solùm ut tria, & Petri ut quatuor. ergo est proportio dupla: & similis proportio erit in gloria: & tamen meritum Pauli fuit triplum merito Petri. ergo inter illos non seruaretur similis proportio inter prẽmia, quæ fuit

inter merita. In contrarium autem arguit. Quia in agentibus naturalibus agens intensum non auget effectum minorẽ secundum totam suam latitudinem, sed solum secundum excessum, ergo ita est in habitibus & in actibus. Antecedens declaratur, & probatur, quia si calefactiuũ ut octo applicaretur calido ut quatuor, non faceret calidum, ut duodecim, sed solum ut octo. & quia solutio quęstionis principalis, bona ex parte pendet ex hoc dubio, uolo id diligentius examinare, & pono conclusionem talem. Actus * intensior non auget habitum per totam suam latitudinem, sed solùm secundum excessum, quem habet supra habitum.

¶ Ista conclusio probatur. Primo, de habitibus acquisitis, quia loquendo de habitibus, qui sunt in potentia naturali, puta intellectu, & appetitu sensitiuo, uidetur sequi, quòd habitus quicunq; intendit, semper ad minus augeatur in duplo, quàm prius erat. Quia cùm potentia naturalis agat semper ex toto conatu, uidetur quòd semper actus elicitus ab habitu, sit intensior habitu, & per consequens si auget habitum secundum totam suam latitudinem, semper augebit plusquàm in duplo, imò uidetur sequi, quòd per quemlibet actum sequentem augetur habitus plus quàm per omnes præcedentes. Patet gradatim discurrendo per actus. Si enim habitus prius sit ut quatuor,

actus

actus sequens ex toto conatu ad minus erit ut octo, & habitus ut sex, & sequens actus ad minus erit ut decem, & habitus ut nouemdecim, & sequens actus ut uiginti, & habitus ut triginta nouem, & sic consequenter. Hoc autem consequens nõ uidetur profecto admittendũ, ergo nec ista opinio. Et confirmatur, quia omne agens potest agere conformiter ad formam, per quam agit, ut calidum ut quatuor, potest producere calorem ut quatuor: & lucidum ut quatuor, lumen ut quatuor. Ergo potentia agens per habitum ut decem, ad minus potest producere actum ut decem: & sic potentia merè naturalis semper habet actum ad minus æqualem habitui, & per consequens semper augetur ad minus in duplo. Secũdo confirmatur: Quia profectò nihil aliud uidetur esse habitus ut decem, quàm quòd possit producere actum ut decem: ergo habitus existens in potentia naturali, semper producit actum ad minus æquè intensum. Secundo principaliter probatur idem de habitu infuso, quia similiter sequitur, quòd si quis agit ex toto conatu, semper augebitur habitus infusus plus quàm in duplo, imò per quemlibet actum sequentem plus quàm per omnes præcedentes. Patet eodem modo, sicut prius, quia actus sequens habitum est ex toto conatu, uidetur quòd sit intensior habitu, & per consequens auget habi-

tum secundum totam suam latitudinem, semper auget habitum plus quàm omnes præcedentes. Si enim omnes actus præcedentes fuerunt mille graduũ, & per consequens est mille graduũ actus productus ex tali habitu, ex toto conatu erit intensior quàm mille graduum, & sic augebit habitum plus quàm omnes actus præcedentes. Ex quo iterum sequitur, quòd talis actus erit maioris meriti, quàm actus præcedentes, & quòd pro quolibet actu sequenti habebit quis maiorem gloriam, quàm pro omnibus præcedẽtibus. Quod omnino uidetur absurdissimum. Neque enim est opinabile, quòd Ioannes Baptista, aut etiam beata Virgo per quemlibet actum, in ultimo uitæ suæ, plus mereretur, quàm per omnes præcedẽtes. Et certè hoc argumentum ita uidetur urgere, quòd non uideatur facilis solutio. Sed tamen potest responderi uno ex tribus modis. Primo, potest dici ad argumẽtum, quòd homines communiter non agunt ex toto conatu, et per consequens actus non est intensior habitu, & sic ruit id quod inferebatur. Sed profectò solutio nulla ex parte satis facit. Primo, quia saltẽ aliquando uiri perfecti uidetur, quòd agat ex toto conatu. Item satis magnum inconueniens uidetur, quòd hoc possit contingere, etsi non semper contingat: neq; enim rationabiliter esset concedendum, quòd Petrus, aut Paulus,

Paulus, aut etiam Adam post tot annos non mutato obiecto, neque aliis circunstantiis haberent uanam dilectionem dei, per quam plus mererẽtur, quàm per omnes actus totius uitæ. Et ideo secundo & apertius potest dici, quòd etiam si quis agat ex toto conatu, actus non proueniet ad totã latitudinem habitus, quando habitus est magnæ intentionis: utpote si quis habeat charitatem ut centum, quantumcunque agat ex toto conatu, non habebit dilectionem ut centum, neq; fortè ut quinquaginta. Sed neq; hoc uidetur satis facere, quia non uidetur intelligibile quare habitus sit ut centum, nisi quia potest producere actum ut centum, cùm neque habitus dicatur in ordine ad actum, neq; est luminosum ut decem, quod non potest producere lumen ut decem, & cùm qualibet alia forma possit producere effectum secundum totam suam intensionem in subiecto capaci, ut de calore, luce, & frigore patet, quod erit merè uoluntarium dicere, quòd hoc est singulare in habitibus, ut non possint producere effectum æqualem sibi.

¶ Item saltem quilibet talis actus, qui sequeretur ex tali habitu intẽsissimo, esset incredibilis intensionis. Cùm enim cęteris paribus, ex maiori habitu producatur intensior actus, si quilibet actus auget habitum secundum totam latitudinem, fiet breui tempore habitus ita intensus,

tensus, ut actus sequens non possit esse nisi intensissimus. Et maximè, quia quanto aliquis magis inclinatur ad aliquem actum, tanto agit cum maiori conatu, & sic cùm habitus augeat inclinationem regulariter, semper erit maior conatus in actu sequenti, quàm in præcedentibus: & sic dato, quòd actus sequens non adæquet omnes præcedentes, saltem æquiualeret medietati, aut tertiæ, aut quartæ parti omnium actuum præcedentium ipsum, quod non est paruum inconueniens. Et si addas, quòd charitas augetur non solùm per proprium actum, sed per omnem actum meritorium cuiuslibet uirtutis, & quælibet etiam uirtus inuicem per actus aliarum uirtutum: & sic actus auget habitum per totam suam intensionẽ. Vides quò progreditur intensio cuiuslibet habitus? Imò uidetur similis calculatio, qualis solet poni in aceruatione illa uulgari de ludo latrũculario, aut de granis frumenti. Si quis enim prima die soluerit unum granum frumenti, & secunda die duo, & tertia quatuor, & quarta octo, & sic consequenter, profectò ante finem anni, tam in immensum crescceret multitudo frumẽti, ut totus ager Campaniæ ferre tantum frumenti uno anno non posset, imò neque tota Hispania. Similis profectò ratio uidetur sequi in proposito, si nuda potentia producat actũ ut unum, & habitus sit ut unum, sequẽs actus

uidetur

uidetur quòd sit ut duo, & habitus ut tria, secundum hanc opinionem, & sequens actus ut quatuor, & habitus ut septē, & sic semper qualibet die fiet duplo maior totus habitus, & paucis annis neq; cogitari quidem possit tanta intensio habitus. Item ad minus uitare non possemus secūdum hanc opinionem, quin saltem in eo, qui per longum tempus perseuerat in gratia, essent habitus infusi, certè plus quàm ostendat experientia. Neq; enim experiuntur boni tantam in se intētionem habituū, quanta esset in illis, si ad istum modum augerentur. Item si actus essent ita intensi ratione habituū, sequitur maior motus in appetitu sensitiuo, qui naturaliter ex actu uoluntatis mouetur, quàm experientia monstrat. Si enim pœnitentia infusa esset ita intensa, sicut per hanc rationem oporteret esse, etiā de præteritis & præsentibus esset tristitia interior intensissima, & sequeretur intensissimus dolor in appetitu sensitiuo, quod tamē raro sancti experiuntur. Sed ad hoc argumentū de experientia respondent, & est tertia solutio, quòd non habemus experientiam de intensione habituum infusorum, sicut nec de ipsis habitibus infusis. Sed nec hęc solutio sufficit. Primo, quia saltem haberemus experientiam de intensione ipsorum actuum præcedentium ab habitibus infusis, & iterum ex actibus uirtutum infusarum (secundum opi

nionem

nionem omnium aliorum à S. Thom.)produ-cuntur,& augentur habitus acquisiti,& sic saltem experientia perciperemus istam admirabilem intensionem habituum. Quibus omnibus si addas argumentum factum à principio de agente naturali, certè uidebitur conclusio posita satis confirmata. Si enim calefactiuum ut octo, superueniens calido ut quatuor, non auget nisi per quatuor gradus,nescio quis hoc priuilegiũ dedit actui ut octo,ut augeat habitũ ut quatuor per octo gradus. Sed restat modò soluere argumentum factum à principio contra conclusionem, quia uidebitur quòd ex illa conclusione non seruatur proportio præmii ad meritum, nec meritorũ inter se ad præmia. Pro cuius solutione prę̃suppono duo.Primum est, quòd gratia distinguitur à charitate. Hoc suppositum in prę̃sentia non probo,quia mihi satis est respondere ad argumentum secundum principia S. Tho. Et qui hoc suppositum negant, habent quærere aliam solutionem. Secundum quod suppono, est, quòd gratia non oportet quòd sit æqualis charitati. Hoc tamen ostendã necessario esse dicendum. Et uidetur probari in Christo, in quo secundũ opinionẽ cõmuniorem fuit infinita gratia, & tamẽ non fuit infinita charitas. Quod probatur,quia eadem ratione fuissent omnes aliæ uirtutes infinitæ, & sic esset actus eius infiniti meritorię,

ut

ut infinita triſtitia, & ex conſequenti non poſſet naturaliter uiuere: quia ex infinita triſtitia in uoluntate, ſequitur naturaliter tãtus motus in appetitu ſenſitiuo, quòd non poſſet naturaliter cum illo uiuere.

¶His ſuppoſitis ad argumentũ reſpondeo per
4 quatuor dicta. Primũ, *quilibet actus meritorius auget gratiam ſecundum totam ſuam latitudinem, & non ſolum ſecundum exceſſum ſupra habitum. Patet hoc clarè, quia pro tali actu debetur gloria ſecundum totam latitudinem actus, & gloria correſpondet gratiæ, ut in præſentia ſuppono: ergo augetur gratia ſecundum totam latitudinem actus, & gloriæ: ut ſi eſt gratia ut quatuor, & actus meritorius ut octo, dico quòd gratia fiet duodecim graduũ. Et confirmatur, quia iſte eſt gratior ut octo, q̃ prius erat, ergo gratia eſt aucta ut octo. Secũ-
5 dũ dictum, Charitas *non augetur per totã latitudinem actus, ſed ſolum ſecũdum exceſſum actus ſupra habitum. Hoc eſt probatum omnibus argumẽtis ſuprà poſitis. Tertium dictum,
6 Charitas *nunquam eſt æqualis gratiæ ſaltẽ in adulto. Hoc patet ex dictis, quia actus auget gratiam ſecundum totam ſuam latitudinem, & charitatem ſolùm ſecundum exceſſum, ergo gratia eſt maior, quàm charitas. Quartum
7 dictum, Gloria * reſpõdet gratiæ, & non charitati. Patet, quia per gratiam ſumus grati & digni

digni gloria: charitas aut data est ad diligendum, sicut fides ad credendum. Item patet hoc de actu, ex tribus dictis iam positis. Ex his dictis patet solutio ad argumentum: respondente enim gloria gratiæ, seruatur proportio meritorum ad præmia, & etiam si charitas nō augeatur secundum totam latitudinem, prout declaratum est. Neq; ex isto augmento gratiæ sequuntur inconuenientia, quæ suprà inferebamus: gratia enim non facit ad intensionem actus, sed solum charitas: & sic licet augeatur gratia in duplo, non sequitur quòd actus sequens sit duplo maior, quàm prius, quia charitas non fuit aucta in duplo. Et certè quicquid secundum alias opiniones sit dicendum, uidetur necessarium respōdere secundum opinionem S. Tho. & Durand. Scot. & Ricard. & omnium aliorum, qui tenent, quòd habitus non augetur nisi per actus intēsiores. Si enim ita est, & actus auget habitum secundum totam suam latitudinem, necessarium est concedere corrolarium illatum, quòd habitus nunquam augetur quin augeatur plus quàm in duplo, quàm prius erat, ut patet intelligenti. Et sic in Adam, uel alio ex patribus antiquis, qui ferme ad mille annos uixerunt, in ultimis annis uitæ suæ nunquam potuerunt augere habitū, quin augeretur plus quàm esset tota intentio habitus præcedentis, quod est absurdissimum

dissimum. Sed quia hoc dubium est commune in omni opinione, & argumentum uidetur procedere contra omnes, ideo ad hoc argumentum de proportione meritorũ ad præmium tenendo quòd gratia & charitas sunt idem, oportet respondere, quòd charitas per actum meritorium augetur in esse gratiæ secundum totam latitudinem actus, in esse autem charitatis solum secundum excessum. Et sic etiam seruabitur proportio meritorũ ad præmium: & uidetur quòd etiam secundum communem opinionem oportet concedere, quòd gratiam oportet esse maiorem in esse gratiæ, quàm in esse charitatis, ut patet in Christo, in quo gratia fuit infinita, charitas autem in esse charitatis finita, ut suprà probatum est, & hoc modo conclusio posita posset defendi in omni opinione.

¶ Secundo oportet examinare id, in quo differunt secunda & tertia opinio à prima. Differunt *autem in hoc, quòd prima putat charitatem augeri etiam per actus remissiores. Secũda & tertia defendunt, quòd non augetur charitas, nisi per actus intẽsiores. Arguitur ergo p secũda & tertia opinione contra primã. Primo argumento Durand. Quia non est dignus nouo beneficio & gratia qui abutitur, uel negligenter utitur iam receptis beneficiis, sed qui habet charitatem intensam tepidè & remissè

operans, negligenter se habet & abutitur charitate. ergo non est dignus ut augeatur. Et si hoc argumentum uideatur prima facie leue, & infirmum, tamen si quis consideret quòd in hac materia non possunt fieri argumenta euidentia, multominus quàm in aliis materiis moralibus, non contemnet argumentum. Si enim licet arguere ab humanis ad diuina, profectò hoc est morale, & familiare in uita politica, ut qui in obsequendo & promerendo apud dominum uel principem fit negligentior, & remissior, non crescit in gratia, & amicitia apud dominum, sed bene agitur cum illo, si perseuerat in eadem gratia, in qua prius erat, etiam si aliâs non offendat. Si ergo inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, non malè arguimus, & timendũ est ne ita nobis cõtingat apud Deum remissè & negligenter operando. Secundo arguitur argumento S. Thom. Habitus acquisitus non augetur per actus remissiores, ergo nec habitus infusus. Et quia hoc est unum ex præcipuis argumentis, uolo examinare quantum ualeat. Et primò probatur consequentia, quia licet habitus infusus nõ augeatur effectiuè ab actibus, tamen ueri simile est, quòd communiter non augetur adeò ac si augeretur effectiuè, sicut habitus acquisitus, aliàs si non oportet seruare proportionem ad naturalia, quid possimus fingere de

rebus

rebus spiritualibus, utpote nobis ignotis? Et confirmatur cõclusio, quia si charitas augeretur effectiuè per actus meritorios, non aliter diceremus augere, nisi sicut habitus acquisiti. Et confirmatur iterum, quia secundum aduersarios per eosdem actus, per quos meritoriè augetur habitus infusus, augetur effectiuè habit⁹ acquisitus: ergo uidetur, quòd si per actus remissos nõ augetur habitus acquisitus, ergo nec etiam infusus. Antecedens autem, quia negatur non solum ab aduersariis nostræ opinionis, sed etiam à Durãdo, qui est in eade sententia nobiscum, primo probatur, quia similes actus similes habitus causant. Arist. secundo Ethic. ergo uidetur quòd actus remissi non possunt facere habitum intensum, qui non est sibi similis, quanquam scio non in hoc proposito locutum in eo loco.

¶Item omne agens intendit assimilare sibi passum, ergo actus remissi non augent habitum: quia hoc non est facere simile, sed dissimile. Item passum in principio est dissimile agenti, & in fine simile. secundo de anima. ergo actus remissus non auget habitũ intensum, aliàs in fine actionis habitus non esset similis actui, sed dissimilis. Item calidum ut quatuor, non aget in calidum ut quinque: ergo nec actus ut quatuor, aget in habitum ut quinque: uel ostendatur hoc priuilegiũ in actibus, quòd

non sit in aliis agentibus naturalibus. Itẽ actus remissus nihil agit in continuatione, ergo nec in principio. Consequentia patet, quia non est maioris actiuitatis, nec est maior resistentia. Antecedẽs probatur, quia agẽs naturale quod agit sine resistentia, nihil agit in continuatione, sicut patet de sole respectu cœli: sed actus nullam habet resistentiam ad producendum, uel ad augendum habitum, ergo nihil agit in continuatione. Et confirmatur, quia si actus ageret in continuatione, malè uitaretur argumentum commune de infinita intensione. Si enim in quolibet instanti habitus augetur per certum gradum, sequitur infinita intensio in quantocunq; paruo tempore. Et cõfirmatur iterum per argumentum cõmune, quod etiam non facile uitabitur, quum sequatur infinita intentio. Si enim actus ut quatuor, augeat habitum ut quatuor, & fiat ut quinque, iterum habitus ut quinque, augeat habitum ut quatuor, & fiat ut quinque, & iterum actus augebit habitum, & sic pro eodem instanti fit infinita intensio actus & habitus. Secundum autẽ communem opinionem, uidetur facilè expediri hoc argumentum. Siue enim in continuatione, siue in elicione actus quandocunq; ueniat ad hoc, ut actus sit æqualis, uel minor habitu, cessat omnis actio, & sic si actus sit ut quinque, & habitus ut quatuor, in primo in

stanti

ſtanti habitus fiet ut quinque, & neque per re actionem neq; per continuationem fiet maior intenſio: quia iam agens & paſſum ſunt ſimilia, & ſimile non agit in ſimile, neq; minus in maius. Item ex contraria opinione ſequitur, quòd aſſenſus concluſionis erit intenſior aſſenſu præmiſſarum. Conſequens eſt contra Ariſt. lib. Poſte. & contra totam dialecticam. Probatur conſequentia. Sit enim ita, quòd aſſenſus præmiſſarum ſit ut quinque, & concluſionis ut quatuor: & per conſequens habitus ſcientificus etiam ut quatuor, uolo quòd habens talem habitum eliciat frequẽter aſſenſum concluſionis, non cogitando actualiter de præmiſsis, quia ſine dubio eſt poſsibile, tũc ſecundum opinionem contrariam augebitur habitus ſcientificus, & poterit fieri ut quinq;, & ut ſex: & per conſequẽs etiam aſſenſus concluſionis erit ut ſex, & ſic intẽſior aſſenſus præmiſſarum. Et confirmatur, quia ſequitur, quòd talis aſſenſus erit euidentior aſſenſu præmiſſarum, quia quilibet gradus eſt euidens: ergo ſi aſſenſus concluſionis eſt intenſus ut ſex, ergo euidens ut ſex. Confirmatur ſecundo. Volo enim quòd poſt primam demonſtrationem, in qua aſſenſus concluſionis ſit ut quatuor, adducantur nouæ demonſtrationes æquales cum prima euidentia & intenſione, tũc per aduerſarios augetur habitus ſcientificus: & ſic iterũ

assensus scientificus poterit peruenire ad intensionem & euidentiam supra quemlibet assensum præmissarum. Ista argumenta etsi non concludant & conuincant, certè uidentur ualde probabilem facere opinionem. Sed quia præcipuum fundamentum huius opinionis est, quòd in naturalibus agens remissum non auget effectum intensiorem, uel quòd agens remissum superueniens agẽti intensiori non facit effectum intensiorem, quòd non solum aduersæ opiniones, sed etiam Durandus, qui nobiscum sentit, negat: ideo arguitur contra hoc fundamentum: & probo, quòd agẽs remissum augeat effectum intensiorem. Et arguitur argumento Durandi, & etiam Gabr. nam experientia docet quòd tria & quatuor lucernæ superuenientes primę lucernæ intensiori, uel æquali intensius illuminant quàm sola prima, ergo agens remissum, uel æquale &c. Idem probatur de ignibus, maiorem enim calorem producũt multi ignes uel æquales, uel etiam maiores & minores, quàm solus unus: ergo ruit fundamentum de agenti naturali. Ad argumentum
9 dico primo, quòd * nunquam plura agentia producunt maius lumen, uel calorem in primo puncto (ut ita dicam) suæ sphęrę uel actiuitatis, quàm produceret unum illorum, quod
10 maximum est. Secundo dico, quòd * nunquã lumen productum est maius quàm sit lumen

men in maximo luminoſo, ut ſi ſit unum luminoſum ut octo, & multa alia ut octo, uel minora, nunquam lumen productum erit ſupra octo. Et probatur utrunq; dictum & fundamentum principale. Certum eſt enim, quòd ſi ſol diuideretur in duas medietates ut fierent duo luminoſa, nulla alia mutatione facta, non producerent intenſius lumen, quàm nunc producunt: ſed una medietas produceret intenſum lumen ſicut ſol producit: ergo duæ medietates non producerent maius lumen, quàm una medietas. Minor probatur, quia ſol eſt uniformis ſecundum lumen, & tam intenſum lumen eſt in medietate ſolis, ſicut in toto ſole. Ergo tam intenſum lumen producit medietas ſolis, ſicut totus ſol. Et idem eſt iudicium de igne & quolibet alio agente naturali. Si enim ignis ſit omniformiter calidus, tantum calorem intenſiuè produceret medietas ignis, ſicut totus ignis, & duæ medietates ſeparatæ non producerent plus quàm totum: ergo duæ medietates non producerent intenſiorē calorem, quàm una medietas, & ſic plura agentia naturalia non producerent intenſiorem effectum, quàm unum illorum: nec agentia æqualia ſe adiuuant ad producendum intenſiorem effectum. Et confirmatur, quia ſi ſint decem luminoſa ut quatuor, & ex illis fiat unum, totum erit ut quatuor, & non plus. Sicut ſi ex multis

albis ut quatuor, fiat unum album, erit solum ut quatuor. Sed quodlibet luminosum ut quatuor, poterit producere lumen ut quatuor. ergo luminosum compositum ex illis non producit intensius lumen, quàm singula luminosa ut quatuor. Sed non agunt intensius luminosa separata, quàm in unum composita, ergo non intensius agunt decem luminosa ut quatuor, quàm unum illorum. Et confirmatur, quia mirabile esset, quòd aggregatũ ex omnibus luminosis non sit nisi ut quatuor, & producat lumen intensius quàm quatuor, cum nullum agens agat supra suam intensionem. Item aliàs sequeretur, quòd daretur maius maximo. Si enim agens æquale uel minus iuuet ad augendam intensionem, ergo si maximè calidum aut luminosum sit ut decem, & apponatur ei luminosum ut decem, uel ut quinque, lumen productum esset ut undecim uel duodecim, & sic maius maximo.

¶ Ad argumentum de experiẽtia dico primo, quòd magnitudo, seu multitudo materiæ etiã in eadem intẽsione facit ad intentionem actiuitatis, ita ut si calefactiuum pedale intẽsionis ut quatuor potest calefacere per uiginti passus, calefactiuũ decempedale eiusdem intẽsionis ut quatuor calefacit per quinquaginta passus. Secundò, omne agens fortius agit in propinquũ, quàm in remotum. Tertiò, agens agit

uni

uniformiter difformiter per ſpatium uel ſphę-
rã actiuitatis, ita ut ſi agens ſit ut octo, illumi-
naret ſpatium duorũ paſſuum, ita ut in quin-
to paſſu eſſet lumẽ ut ſex, & in decem ut qua-
tuor, & in quindecim ut duo, & ſic cõſequen-
ter. ergo ſi adduntur alia quatuor ſimilia lu-
minoſa, intenſione & quantitate, iam erit
ſpatium illuminatum quinque graduum, ut
centum paſſuum, & uiginti paſſuum, ut prius
erat lumẽ ut quatuor, erit plus quàm ſex, quia
in quinque paſſuum erit lumen ut quatuor.
Et idem erit, ſi luminoſum ut octo addatur lu
minoſo ut quatuor, augebitur in ſphæra acti-
uitatis, & per conſequens intenſio. Secundo
ſequitur, q̃ nunquam erit maius lumẽ in quo-
cunq; puncto, quàm ſit in maximo luminoſo,
quòd ſi erat ut octo, nunquam in medio erit
maius lumen quàm ut octo, quotcunque ſint
agentia. Et confirmatur hoc, quia ut creſcit
lumen, aut calor, ſi luminoſum idem aut cali-
dum fiat maius in quantitate, ſic ſi multitupli-
centur luminoſa, ut notum eſt. ſed ſi lumino-
ſum pedale aut ignis pedalis intenſionis ut
octo fiat tripedale manente eadem intẽſione,
nullus dicet, quòd producat lumen aut calo-
rem ultra octo: neq; unquam experientia ali-
ter docuit multiplicatis agentibus augeri effe-
ctum, quàm ſicut dictum eſt. Imò ex hoc argu-
mento arguitur contra opinionem cõtrariam.

Nam quotcũq; multiplicẽtur agentia ut quàtuor, ſiue ſimul, ſiue ſucceſsiuè, nũquam producunt effectum ſupra quatuor: ergo quantumcunque multiplicentur actus ut quatuor, nunquam producent habitum ſupra quatuor. Et ita patet quid dicendum ſit ad primum argumentum contra fundamentum concluſionis.

¶ Sed arguitur aliter ſecundo, contra fundamentum de habitu acquiſito. & probo, quòd quilibet actus quantumuis remiſsus, augeat habitum acquiſitum, quia aliâs ſequeretur, quòd nunquam augeretur habitus, niſi augeretur conatus potentiæ. Patet, quia ſi ſecundus actus non eſt maior: primo, nihil facit ſecundum opinionem: ſed ut ſit maior actus, uidetur q; ſequitur maior conatus, ergo infertur illatum. Ad hoc dico, primo negando conſequentiam, quia cum æquali conatu poſito habitu producitur maior actus. & eſt communis opinio, ſed Durandus hoc negat, quia tenet quòd habitus non facit de per ſe maiorem intenſionem: ſed non eſt probabilis eius ſententia.

¶ Tertio arguit, Experientia docet, quòd ex frequentatione actuum ſemper augetur habitus, ſed non uidetur quòd ſemper actus ſequentes ſint intenſiores præcedentibus, ergo

hoc

hoc non requiritur ad augmentum habitus. Dico primò, imò experientia docet, quòd si quis remissè & tepidè operatur, non inuenit se promptiorem, quòd tamen esset, si habitus augeretur. Secundo dico, ꝙ regulariter ubi est maior inclinatio, est maior conatus, & quia habitus auget inclinationem, consequenter qui operatur ex habitu, operatur ex maiori conatu, & ideo regulariter actus sequentes sunt intensiores. Et sic uidetur manere secundum argumentum principale in suo uigore.

¶ Tertio principaliter arguit pro nostra opinione, quia ut latè probatum est, actus intensior auget habitum solum secũdum excessum, ergo actus æqualis, uel minor nihil auget. Patet consequẽtia, quia si actus ut sex, habet habitum ut quatuor, uel auget præcisè per duos gradus: ergo actus ut tria uidetur quòd nihil augeat. Si enim actus auget habitum solum secundum excessum, ergo si non excedit, uidetur quòd non augeat. Et confirmatur, quia in naturalibus, ut dictum est, remissius agens non auget effectum intensiorem.

¶ Quarto arguitur, Experientia docet, ꝙ qui remissè & tepidè operatur, facile amittit habitum. quod non esset, si talis habitus augeretur: esset enim difficilius, & firmius, quod non ita contingit. Imò qui consueuit tepidè

operari

operari, facilè desinit operari. Plurima argumenta possent fieri de hac opinione, licet dicta sunt potiora.

¶ Sed pro maiori declaratione materiæ arguitur pro prima opinione contra secundum & tertium: & probo, quòd habitus augetur per quemlibet actum. Et primo arguo argumento facto in principio conclusionis, quia talis actus etiam remissus, loquendo de habitu charitatis infuso, est meritorius. ergo respondet aliquis gradus gloriæ, & gloria correspondet charitati. ergo ratione talis actus augetur gratia & charitas. Dico primo quòd non est certum, quòd patres antiqui senserunt de hoc dubio, & moderni quidem ita uolunt intelligere. S. Thom. in 1. distinct. 17. quæst. 2. dicit, quòd ad multitudinem actus charitatis non necessariò sequitur augmentum præmii essentialis. Scot. in 4. uidetur dicere, quòd pro actu remissio sicut habebit gradum gloriæ, ita habebit gradum gratiæ in fine uitæ. Quidquid senserint patres, quod probabilius
11 est respõdeo per tres propositiones. Per* quélibet actum charitatis quantumuis remissum meretur quis, & habebit maiorem gloriam. Hæc propositio uidetur esse S. Tho. 1.2. q. 52. & 2.2. q. 24. art. 6. licet fortasse super sententias aliter senserit. Eadẽ propositio est apertè Scot. Et primò probatur, quia uidetur repugnare

quòd

quòd sit meritorius de cõdigno, & non detur pro eo præmium. Item perfecti uiri uiderentur esse multo iniquioris conditionis, si habentes habitus intensissimos, fortè aliquando elicientes actus minoris intensionis, omnino frustrarentur præmio, qui tamen actus apud imperfectos essent ualde meritorii. Item uidetur facere, quòd Dominus dicit Matth.10. Quicunq; potum dederit calicem aquæ frigidæ (etiam non ita feruenti actu) non perdet mercedem suã. Item uidetur facere Matth.19. Si uis ad uitã ingredi, serua mandata. Certum est, quòd per actus remissos charitatis seruat quis mandata. ergo pro illis habebit uitam æternam. Item attritio quantumcunq; remissa, dummodo habeat alias circunstantias, est sufficiens dispositio ad gratiam & gloriam. Item omnino uidetur absurdũ, & acerbum, ut si quis heri habuisset actum ut decem, & habuisset pro illo magnum præmium, quia scilicet habebat habitum remissiorem, & hodie quia creuit habitus ꝑ simili actu, nullam mercedem habeat. Item pro actu intensiori, ut dictum est, augetur charitas solum penes excessum actus, tamen datur gloria proportionabiliter ad totam latitudinẽ actus, ergo pro actu remisso dabitur etiam proportionabiliter aliquis gradus gloriæ. Et quidquid sit de argumentis & opinionibus nouorũ theologorum,

nullo

nullo modo dubito de hac propositione, quia ex fide, & sacris literis habemus apertè, quòd pro bonis actibus, saltem ex gratia præcedentibus, habemus gloriam in cœlo. An autem per actus remissos augeatur habitus necne, totũ pẽdet ex opinionib', propter quas nullo modo debemus discedere à regula, & synceritate scripturarum, quæ apertè nobis permittunt præmium pro bonis operibus, iuxta id, Vt recipiat unusquisq; prout in corpore gesit siue bonum, siue malum. Hoc certè indignum uidetur diuina bonitate, ut pro actu malo quantumcunq; remisso recipiat quis pœnam, & pro actu bono remisso non habeat mercedem.

12 ¶ Secunda propositio, Quolibet tali actu augetur gratia. Hęc patet ex primo, quia si pro illo debetur ei maior gloria, ergo talis est dignus maiori gloria: & per consequens, est gratior. Nihil enim aliud uidetur esse gratius, quàm dignius, & magis acceptum ad uitam æternam. ergo qui prius erat gratus ut decem, si pro actu ut duo debentur ei duo gradus gloriæ, iam est gratus ut duodecim. Similiter ergo sicut suprà diximus, quòd per actum intensum augetur gratia secundum totam latitudinem actus, charitas autem solum secundum excessum, ita dicimus quòd per actum remissum augetur gratia, non autem charitas.

¶ Ter

¶ Tertia propositio, * si per actum remissum nõ augetur charitas statim, uoluntariũ uidetur dicere, ꝙ augetur in fine uitæ. Nihil enim de hoc est nobis traditum. Secundo principaliter arguitur pro eadẽ prima opinione, quia actus minus intensus potest esse magis meritorius quàm actus magis intensus, ergo si per actum intensiorem augetur habitus, ergo etiam per actum minus intensum. Consequentia patet, quia habitus infusus non auget nisi meritoriè, ergo ubi maius meritum est maius augmentũ. Et antecedens probatur clarè, quia maius meritum est dare totam substantiam pauperibus, etiam per actum remissum, quàm unum denarium per actum intensum. Dico quòd argu-
14 mentum petit dubium, An * in augmento habitus habeatur respectus non ad intensionem actus gradualem meritorii, sed ad quantitatem meriti. Et posset quidem uideri probabiliter, quòd debeat haberi respectus solum ad intensionem, quia uidetur quòd augeatur habitus meritoriè, sicut augeret effectiuè, si actus posset augere: sed si actus augeret effectiuè habitum, augeret secundum intensionem gradualem, & non secundum meritum, ut patet de habitu acquisito, qui augetur ab actu meritorio, non secundum proportionem meriti, sed secundum gradualem & naturalem intensionem: ergo similiter uidetur dicendum de habitu

bitu infuso. Et confirmatur, quia per actum meritorium uirtutis acquisitę augetur habitus infusus, ergo uidetur quòd proportionabile sicut auget habitum acquisitum penes intensionem gradualem, & non penes meritum, ita augeat habitum infusum. Item quia sicut patet ex superioribus, augmentum charitatis non facit per se ad præmium, sed solum ad intensiorem actum eliciendum. Prȩmium enim est respectu gratiæ, & non charitatis. ergo rationabilius uidetur, q̃ magis in intensione charitatis habeatur respectus ad intensionẽ gradualem actus, quàm ad meritum. Sed his non obstantibus dico probabilius ad dubium, quòd etiam habitus charitatis, & alii habitus infusi augentur secundum proportionem meriti, & non secundum intensionem gradualem actus. Probatur, quia uirtutes infusæ sunt dona dei, & quodam modo præmia actuum bonorum, ergo omnino est tenendum, quòd melioribus dantur maiora dona, & maiores uirtutes. Sic qui magis meretur melior est, ergo magis augentur in eo uirtutes quantuncumq; alius habeat actus intensiores, sed non æque meritorios. Tertio principaliter arguitur, Ponamus Petrum in charitate ut octo, & habeat successiuè duos actus meritorios, utrumq; ut sex: & Paulus item habeat charitatem ut octo, & habeat unum actum ut duodecim. Arguitur sic,

In

In Paulo augetur charitas, ergo etiam in Petro, qui tamen habet actus remissos. Patet consequentia, quia æqualiter meretur, & ex præcedenti determinatione in augmento habituũ habeatur solum respectus ad meritum: ergo si augetur in Paulo, etiam in Petro: & quia tangitur eadem difficultas, arguitur quarto, quia actus in continuatione est meritorius, ergo quilibet actus quantuncumq; remissus per continuationem potest peruenire ad meritum actus intensioris: sed ut dictum est, intensio fit ratione meriti, ergo per actum remissum augetur habitus: ut uerbi gratia, si quis habeat habitum ut octo, eliceat actum ut quatuor, ille actus per cõtinuationem fit meritorius ut decem: quia certũ est, quòd quanto maiori tempore continuatur, tanto magis meritorius: & cum quilibet actus cõtinuatur, ut est communis sententia, & experientia docet, uidetur, quòd quilibet actus remissus augeat habitum. Dico quòd ista duo argumenta petunt dubiũ, An * data etiam opinione quòd habitus non augeatur per actum remissum, plures actus remissi possint augere habitum, uel etiam unus actus continuatus possit æquiualere in merito uni actui intenso. De quo dubio sunt tres opiniones. Prima, quòd quandocumq; peruenitur ad meritum actus intensi, siue per multiplicationem actuum, siue per cõtinuationem

unius actus, augetur habitus: quia, sicut dictum est, intentio habitus fit ratione meriti. ergo siue per multiplicationem actuum remissorum, siue per continuationem unius actus remissi perueniatur ad æquale meritum unius actus intensi, augebitur habitus infusus. Sed contrà, quia uidetur sequi, q; si per quemlibet actum quantumuis remissum augetur habitus, uidetur enim quòd per continuationem semper ueniatur ad meritum actus intẽsi, maximè tenendo, sicut uerum est, quòd in quolibet instanti continuationis liberè cõtinuatur. Item, quia S. Tho. ut allegatum est in 1. dist. 17. dicit, quòd per multiplicationem actuum remissorum non necessario augetur charitas, & certè doctores, qui negauerunt intentionem habituum per actus remissos, nõ admisissent, quòd per continuationem aut multiplicationem talium actuum augetur habitus: ideo est secunda opinio, quòd per actus remissos, neq; continuatos, neque multiplicatos, nunquam augetur charitas: & fortè hæc fuit opinio antiquorum. Sed contrà certum est, quòd per continuationem uel frequentationem actuum remissorum fit aliquis melior, quàm alius per unicum actum intensum, & inconueniens uidetur, quòd qui melior est, non habeat maiora dona dei, & per consequens maiores uirtutes infusas: ergo talis multiplicatio uel continuatio

tio actuum sufficit ad intensionem habitus. Ideo est tertia opinio media, quòd per actus quidem remissos non augetur habitus, sed adueniente aliquo actu intenso augetur habitus, non solum pro illo, sed etiam pro omnibus præcedentibus quãtumcunq; remissis. Sed certè hoc uidetur esse diuinatio, & merè uoluntarium. Si enim ratione intẽtionis est meritum, & in præcedentibus actibus remissis fuit sufficiens meritum, commẽtum uidetur, q̃ oportet expectare aliquem actum, qui per se sit sufficiens ad augendum. S. Tho. ponit exemplum de guttis cauantibus lapidem, quòd ultima cauat uirtute præcedentium, & ita est de actibus meritoriis. Vnde uidetur, quòd posito aliquo actu remisso cum præcedentibus, augetur habitus, qui tamen per se non sufficeret augere, sicut est de gutta, quæ cauat lapidem.

¶ Dubium est quę sit uerior de istis opinionibus. Quòd probabilius mihi uidetur dicam per propositiones. Prima, contra sententiam
16 multorum scholasticorum, Meritum * nullo modo proportionatur intentioni, hoc est, si dilectio dei est intensa ut tria, est meritoria ut tria, non oportet quòd dilectio ut quatuor, sit
17 meritoria ut quatuor. Secunda non * solum non proportionatur meritum intentioni, sed nec magna multitudo actuũ remissorũ æquiualet uni actui intenso, & perfecto, hoc est,

uolo dicere, quòd magis meritoria est una dilectio perfecta, quæ sit uerbi gratia ut decem, quàm cẽtum imperfectæ, quarum quælibet sit ut unum. Probãtur ambæ propositiones. quia difficultas multum facit ad meritum, & difficilius est habere unam dilectionem perfectam, quàm centum imperfectas. Item quia magis cõforme est præcepto de dilectione Dei, diligere semel Deum ex magno conatu, quàm tepidè & remissè, quia præceptum est ut toto corde diligamus. Item perfectior est una oratio cum magna deuotione & attentione, quàm multæ tepidæ remissæ. Et confirmatur totum hoc, quia certè in estimatione rerũ, pluris æstimatur una res perfecta in sua specie, quàm decem imperfectæ, ut patet in margaritis. pretiosior enim est adamas magnitudinis auellanæ, quàm centũ adamãtes minuti, etiam si omnes simul sint maioris ponderis, & hoc in omni genere margaritarum. Item in animantibus pluris est equus unus perfectus quàm decem imperfecti & inualidi. ita certè est in minoribus. Maioris precii est unum opus & officiũ uirtutis perfectę, quàm multa imperfecta & minuta etiam in eadem specie. Tertia, Idem est dicendum de continuatione: est enim absurda & ridicula calculatio scholasticorum. Vt si quis in elicione actus mereatur ut decem, & in quolibet instanti continuationis tantundem mere-

tur

tur. dico enim quòd* nisi sit magna continuatio & perseuerantia in actu, non duplicatur meritum. licet possit esse tanta continuatio & perseuerantia, ut etiã sit maius meritũ in continuatione quàm in elicione. Quarta, Quandocunque * peruenitur ad meritũ æquale cum actu intenso, siue per multiplicationem, siue per intentionem, sine dubio augetur habitus. Sed hoc non ita frequenter contingit ut dictũ est. Probatur propositio, sicut probatum est, quia talis est æquè bonus, sicut alius esset per actum intẽsum. ergo habet etiam æquales uirtutes. Videtur enim incouueniens, quòd qui melior, non habet maiorem charitatem. Si ergo quis sit melior per multiplicationem, aut continuationem, quàm alius per intẽsionem, ergo habebit maiorem charitatem. Item quia augmẽtum est quodammodo præmium, ergo si est sufficiens meritũ, erit etiam augmentum. Item profectò absurdum uidetur, qui habet charitatem ut centum, & orans per actum meritorium ut quinquaginta, per totum diem non mereatur augmentum charitatis. Hoc uidetur conforme dicto S. Tho. 2. 2. ubi supra, dicẽtis, quòd quilibet actus meretur augmentum, licet non statim, sed cùm sufficienter se disposuerit, uidetur quòd hæc dispositio sit, quando peruenitur ad meritum æquale cum actu intenso. Et per hoc patet ad tertium, &

quartum argumentum. Quinto arguitur, quia uidetur ſequi ex opinione, ꝙ quantũcunque quis agat ex toto conatu, nunquam in continuatione augetur habitus. Conſequens uidetur incõueniens, ſcilicet, quòd nihil operetur ad augmentum habitus, ꝙ aliquis diu perſeueret in bono actu. Sequela autem uidetur probari, exempli gratia, quòd Petrus habens habitum ut quatuor, eliciat actũ ut octo, in primo inſtanti habitus fiet æqualis actui per ſupradicta, & actus manebit æqualis (ut ſupponimus) in continuatione, & per opinionẽ actus æqualis non auget habitum. ergo nunquàm in continuatione augebitur habitus. Dico, iam dictũ eſt, ꝙ in augmento habituum infuſorum habetur reſpectus ſolum meriti, & in continuatione poterit peruenire ad maius meritum, quàm ſit latitudo habitus, uel quàm eſſet meritum unius actus intenſioris, & ſic augebitur habitus. Sexto arguitur, Sequitur quòd cæteris paribus eſſet melioris conditionis qui elicit primo actum remiſſum & poſtea intẽſum, quàm econtrario qui prius elicit actum intenſum, & poſtea remiſſum. uerbi gratia, Petrus habens charitatem ut octo, eliciat primò actum ut quinque, poſtea ut decem, per regulam poſitam augetur habitus per ſeptem gradus, quia iam meritum peruenit ad octodecim gradus, & ſi contrario eliciat primo actum ut decem,

&

& postea ut quinque, solum augetur habitus per duos gradus. Probatur, quia statim cum primo eliciat actum ut decem, iam habitus auctus est per duos gradus, scilicet usq; ad decẽ, & per actum ut quinque, sequentem non augetur habitus. ergo omnino sequitur illatum, quod ordo ille actuum multum facit ad augmentum, quod uidetur absurdum. Dico primò fortasse, quòd hoc argumentum & alia similia ostendunt, quòd nostra opinio non caret etiam calumnia, nec bene se expedit à dubiis & difficultatibus, & fortasse ꝙ oportet ponere aliam opinionem distinctam à tribus recitatis. Secundo dico, quòd cõsequens non est maius inconueniens concedere, quàm concedere de habitu acquisito. De quo oportet concedere, ꝙ si quis habet habitum ut octo, & eliciat primo actum ut nouem, & postea ut decem, quilibet actus auget habitum, quia sem per inuenit habitum remissiorem. Si autem mutato ordine primo eliciat actum ut decem, & postea ut nouem, prius quidem auget habitum, sed secundo non, quia inuenit iam habitum intensiorem se. Imo de aliis agentibus naturalibus uidetur, quòd oportet simile concedere. Si enim primo adhibeat calefactiuum ut quatuor, & postea calefactiuũ ut octo, utrunque producit, uel auget calorem. Si autem mutetur ordo, & primo adhibeatur calefactiuũ ut

octo, & postea ut quatuor, nihil facit, ut declaratum est: quanquam re uera nō est simile, quia in habitibus infusis actus remissus & intensus computatur pro non actu quantum ad meritum, & possunt facere unum augmētum, quod non potest dici de acquisito. Septimo arguitur, Quia saltem sequitur, quòd si quis ex habitu intēso habet solum unum actū acquisitū, qui etiā per continuationē non perueniat ad meritum intēsum, sequitur, inquam, quòd pro illo actu nunquam recipiet augmentū charitatis, cùm tamen illo actu fiat melior alio, qui non habet illum actum cæteris paribus. Dico, omnino consequens uidetur concedendum secundum hanc opinionem, & satis est quòd augetur gratia. Ex omnibus relinquitur, quòd de augmento gratiæ eadem est opinio nominalium. Primo modernorum & S. Thom. differunt tamen ab opinione Scot. Secundo relinquitur, quod profecto nō est certum, sed ualde dubiū, quomodo fiat augmentum charitatis, & uirtutum infusarum. Neque mihi per omnia placet etiā opinio S. Tho. recitata, neque possum ex sententia satisfacere dubiis emergentibus ex illa. Tertio, uidetur tamen quantum ad hoc probabilius, quod non per quemlibet actum augetur charitas. Quarto, posset nihilominus defendi probabiliter, quòd per quemlibet actum non ad modum

Eadē est opinio S. Tho. & moderno rum de augmento gratiæ.

ad modum quidem quo aduersarii putant, sed ut dicamus, quòd charitas ut decem, augetur per actū ut duodecim, per duos gradus, & per actum ut sex, per unum gradum, & per actum ut tria, per dimidium: etiam sic probabiliter & demum in hac materia facilius esset mihi dicere quod est falsum, quàm quod est uerum.

SECVNDA PARS DE *diminutione Charitatis.*

IN secunda parte relectionis agendum est
10 de diminutione charitatis. Duobus * autem modis solum imaginari potest aut disputari, quòd charitas diminuatur. Vno modo per peccatum ueniale. & secundo, per peccatum mortale, ita quòd ratione illius aliquis ad minorem charitatem & gratiam resurgat, quàm prius habuerat. De primo modo dubitatur, an * per peccatum ueniale diminuatur charitas uel gratia. Et uidetur quòd
11 sic, quia quanto crescit offensa, tanto minuitur gratia, ut patet in omni uita ciuili. Tanto enim aliquis cadit à gratia alicuius, quantum illum offendit. Sed ueniale peccatum est offensa Dei. ergo minuit gratiam.

¶ In contrarium est, quia sequitur, quòd mul-

tiplicatis uenialibus tollerentur gratia & charitas. omne enim finitum per ablationem finiti consumitur. Dico, opinio est Altisiodo. celebrata in scholis, quòd peccata uenialia immutēt charitatem, quæ impugnatur ab omnibus doctoribus tam antiquis quàm modernis. De qua opinione & quæstione dico per duas propositiones. Prima opinio Altisio. non tam improbabilis est, sicut solet uideri in scholis. Probatur, quia pro illa sunt argumenta habentia apparentiam: & argumenta, quæ solent fieri contra illam, soluūtur apparenter. ergo opinio illa est probabilis. Argumenta pro illa opinione sunt, primum quod factum est non debet uideri ita infirmum. Si enim non imaginaremur gratiam esse habitum, sed hominem esse gratum Deo per uirtutem diuinam, quæ habet illum acceptum, sicut homo est gratus regi non per aliquem habitum, facile esset intelligere quomodo per paruas offensas, licet peccata uenialia, homo redderetur minus gratus, sicut etiam homo est minus gratus amico per multiplicationem etiam leuium offensarum. Et certè si licet arguere ab humanis ad diuina, non est dubium, quin hoc sit in usu hominum etiam bonorum, ut minuatur amicitia per multiplicationem etiam leuium offensarum, quæ tamen non sufficiunt tollere amicitiam. Nescio

ergo

ergo unde nos diuinamus quòd ſumus ita amici dei & ita grati poſt infinitam multitudinem peccatorum uenialium?

¶Item pro eadem opinione arguitur, quia ex multiplicatione peccatorum uenialium redditur homo minus promptus ad actus charitatis, & aliarum uirtutum: minuunt enim feruorem charitatis, ut doctores concedunt. Signum eſt ergo, quòd habitus eſt minor. Maior enim habitus maiorem feruorem facit, & maiorem promptitudinem, & firmitatem, cuius contrarium experiuntur, qui habent conſuetudinem peccãdi uenialiter. Ad argumentum in contrarium, quando argumentatur, ſequitur quòd per multiplicationẽ uenialium tandem tolleretur charitas & gratia: aliqui dicũt, quòd quando gratia peruenit ad illum gradũ, qui poſsit tolli per unũ ueniale, iam id ueniale fit mortale ex illa circunſtantia.

¶Contra hoc eſt argumentum, quia quilibet inuincibiliter ignorat illam circunſtantiam. Nullus enim poteſt ſcire quando gratia eſt in tali ſtatu. Item oportet confiteri de tali mortali peccato, quod non eſt dubium, quin ueniretur in multis, qui cauentes à mortalibus, tamen habẽt magnam conſuetudinem uenialium. Nullus autem hactenus inuentus eſt, qui de hoc cõfiteretur, nec deberet, nec quiſquam tale conſilium dedit, ergo.

¶Item

¶ Item arguitur, quia peccatū mortale, quod tollit gratiam, nō est grauius mortaliter seipso sine tali circunstantia. Occidere enim hominē in eo qui erat in gratia, nō est grauius, uel saltem non est grauius moraliter, quàm in eo, qui est extra gratiam: ergo per hoc, quòd mendacium tolleret gratiam, nō mutaret speciem, nec esset infinitū grauius. Item arguitur. Præsupponitur unum falsissimum, quòd aliquis teneatur ad conseruationem gratiæ ex speciali præcepto: quod non est uerum. Qui enim est in gratia, & adulterat, non peccat contra duo præcepta, sed solum contra præceptum non adulterandi. Et ideo alii aliter respondent, q̄ secundum peccatum, etiam si sit æquale cum primo, non tantum tollit sicut primum, sed solum proportionabiliter, puta si primū tollit unum gradum, secundum tollit dimidium, & tertium quartam partem gradus. Et sic consequenter clarum est, quòd si ita fieret, etiam si in infinitum multiplicarentur peccata, nunquàm omnino tolleretur gratia. Sed isti nullam rationem afferunt, quare secundum peccatum non auferat tantum sicut primum, nisi solum, quia sequitur inconueniens: quod non est satisfacere ad argumenta, & uidetur uoluntaria solutio. Et ideo aliter dico etiam, quòd
22 *nullum peccatum ueniale potest tollere gratiam, dato quòd quilibet tollat partem gratiæ.

Et

Et ratio est, quia sicut augmentum gratiæ est quodammodo præmiũ, ita diminutio est pœna. Si autem aliquod ueniale omnino tolleret gratiam, id puniretur plus quàm omnia uenialia præcedentia. Manifestum est enim, quòd maius malum & grauior pœna est priuari uno gradu gratiæ apud eum, qui solum habet illum gradum, quàm priuari centum gradibus apud illum, qui habet ducentos. Peius est enim cadere à gratia, quàm cum gratia uenire ad minimum. Et si diceremus, quòd si quis habet decem gradus gratiæ, per peccatum ueniale perdit unum gradum, & per alia uenalia multiplicata possunt perdi nouem: sed cùm uenitur ad decem, nullum ueniale, nec quęcumque uenialia possunt tollere totum illum gradum, sed poterit tollere uel dimidium uel tres partes. Nec hoc est uoluntarie dictum. Quia grauius est habenti unum gradum perdere dimidium, quàm habenti centum perdere decem: sicut & maior pœna est habenti decem aureos perdere omnes, quàm habenti mille perdere uiginti: & grauius est habenti decem perdere nouem, quàm habenti centum perdere quinquaginta, & hoc modo possemus elabi ex argumento. Si hoc non placet, posset aliter dici, quòd uenialia posibilia in tota uita unius hominis, sunt certa, & determinata, cùm sit certum tempus, & per consequens quamuis posset

set esse immensa multiplicata, est tamen certa, est em aliquis determinatus numerus actuum, quos potest aliquis habere in una hora, & per consequens etiam in tota uita, quæ constat ex finitis horis. Hoc supposito ego dicerē, quòd minima gratia, utputa baptismalis, uel quæcunq; alia habet plures partes quàm sunt peccata possibilia in tota hominis uita, & unum peccatum ueniale nō potest tollere nisi unam particulam ex illis. Vt si dicamus, quòd uenialia possibilia sunt decies centum mille, dico quòd quæcumq; gratia ad minus habet decies centū mille gradus, aut particulas, & quod libet ueniale potest tollere unam particulam, & sic patet quòd nunquàm peruenietur ad ultimum. Neque hoc esset tam absurdum. Etsi nec hoc quidem satisfaceret, dicerem adhuc, quòd si quis diu uiuit in gratia, & non peccat mortaliter, dato quòd cōmittat multa uenialia, impossibile est, quin sæpe mereatur & augeat gratiam, & sic etiam si uenialia diminuāt charitatem ex alia parte, augebitur plus quàm minuetur. Et iterum euadimus illud inconueniens, quod argumentum petebat. Et potest confirmari totum hoc. Quia temperantia acquisita, & aliæ uirtutes minuuntur per peccata uenialia contraria illis uirtutibus, & tamen nūquam possunt taliter corrumpere uirtutem. Si enim quis semel habeat uirtutem temperā-

tiæ,

tiæ, quantumcumq; ostendat uenialiter in materia temperantiæ, nunquam desinet esse temperatus, & sic posset defendi sententia Altisiodorensis.

¶ Sed hoc non obstante est secunda propositio. Opinio communis, & contra Altisio. est longè probabilior, & quantum ego puto, uerior. Et præter argumenta communia contra Altisio. argumentor sic contra illum, quia sequitur, quòd charitas simul augetur & diminuitur, quia potest quis mereri, & peccare uenialiter simul, ut certum est: consequẽs autem uidetur non solum falsum, sed impossibile, & malè intelligibile. Quoniam potest esse, quòd qualitas non extensa pro eodem instanti augeatur & diminuatur. Et confirmatur, quia si charitas sit ut decem, & peccet quis uenialiter peccato, quo meretur perdere unũ gradum, & mereatur augmentum unius gradus, hic nulla mutatio fiet in charitate, sed manebit ut decẽ, sicut prius erat, quod uidetur ridiculum dicere, quòd mereatur quis augmentum, & non detur ei. Item quia quæro si postea remittitur uenialc, an restituatur gradus gratiæ amissus, necne: si dicas quòd sic, frustra ergo fingimus illam diminutionem, cùm oporteat concedere, quòd quando remittuntur uenialia, iterum reditur ad pristinũ statum. Si autẽ neges contrà, quia non debent esse peioris conditionis

uenialia

uenialia, quàm mortalia. Respondeo, per pœnitentiam redit homo ad pristinum statum, & restituitur amissa gratia, ergo multo magis per pœnitentiam uenialium restituetur amissa gratia per uenialia. Et confirmatur, quia cùm uenialia remittuntur, & per quodlibet sacramentum, & per dilectionem Dei semper perseuerans in gratia recuperaret totam gratiam amissam ratione uenialium, & sic illa diminutio est uana & ficta. & ista sint satis de primo modo diminutionis: de secundo autem, quia nunc nō uacat, aliàs disputabimus. Et ista sufficiant pro hac relectione.

REVERENDI PATRIS F. FRANCISCI

à Victoria Relectio de Temperantia in secunda secundæ S. Thomæ.

*

Locus relegendus Gen. 9.

Omne, quod mouetur, & uiuit, erit uobis in cibum. Quæst. 1.

SVMMA.

1 *Vitam suam propriam quòd quilibet teneatur conseruare per alimentum, probatur.*

2 *Cibi, aut alimenti nullum genus fuisse, aut esse prohibitum homini iure naturali, ostenditur.*

Carnium

3 *Carnium usus, utrum ante diluuium esset concessus.*
4 *Condimentis, & artificio, an liceat uti ad edendum cibos suauiores.*
5 *Carnibus humanis an uesci liceat.*
6 *Carnibus uesci humanis, an in extrema necessitate liceat.*
7 *Sacrificare homines deo, ut faciunt barbari, quòd sit & iure diuino, & naturali prohibitum.*
8 *Abstinere perpetuò à certo genere alimentorũ, etiam in extrema necessitate, utrũ sit laudabile Cartusiensi, quòd etiam secluso scandalo non uideatur illicitum in extrema necessitate abstinere à carnibus.*
10 *Cartusiensi an liceret in casu necessitatis extremæ carnes comedere.*
11 *Vitam reddere breuiorem per abstinentiam, utrum liceat.*
12 *Vitam per abstinentiam ex intentione reddere breuiorem, quòd non liceat.*
13 *Vitam quantum quis per alimenta possit protelare, quòd non teneatur.*
14 *Vti alimentis, quibus uita breuior reddatur, quando non esset peccatum.*
15 *Vti quis singulari inedia, & cibo nocuo, quando non excusaretur à mortali peccato.*

AN sit licitum uesci carnibus humanis? & uidetur quòd sic, primò ex loco citato, ubi nulla fit exceptio, & saltem uidetur, q̃ non sit mortale, quia non est contra charitatem Dei uel proximi. Secundo, quia nunquam legimus prohibitum saltem lege & iure diuino. Tertiò, quia

medici utuntur in pharmacis carnibus humanis, quas uocant carnemomia. ergo in contrarium est ius gentium, apud quas semper fuit abominabile. Item Aristo. 7. Ethic. dicit, quòd est feritas, uesci carnibus humanis. Duabus partibus circa materiam temperantiæ præsens quæstio absoluetur. Prima, utrum homo teneatur conseruare seipsum per alimentum. Secunda, An teneatur homo conseruare speciem per usum matrimonii. Circa primam partem quærũtur nouem. Primo, An teneatur absolutè, & quo iure. Secundo, Vtrum liceat uti omnibus alimentis absolutè, excepta carne humana. Tertio, An liceat humana carne uti in alimentum. Quarto, An liceat sacrificare homines. Quinto, Vtrum hac ratione liceat barbaros debellare. Sexto, An liceat perpetuo abstinere ab aliquibus alimentis extra extremam necessitatem. Septimo, An liceat abbreuiare uitam per abstinentiam. Octauo, An in extrema necessitate liceat abstinere à certo genere alimentorum. Nono, An ecclesia potuerit prohibere certum genus ciborum & alimentorum. Circa secundam partem quærũtur tria. Primo quæritur, An aliquando fuerit in præcepto dare operam liberis. Secundo, Vtrum nunc sit in præcepto. Tertio, Vtrum si omnino esset peritura progenies hominum, tenerentur homines dare operam liberis, non

Aristot.

obstante

obstante uoto, aut aliis impedimentis consanguinitatis. De primo, utrum homo teneretur seruare se per alimentum. Videtur quòd non, quia aliàs ægrotus, qui fastidio ciborum non comederet, damnaretur de mortali. Item eadem ratione teneretur sumere pharmacum. consequẽs est falsum iuxta illud Agathæ, Medicinam carnalem corpori meo nunquam exhibui. & est inter epistolas Hieronymi ad hoc propositio quædam. Imo nationes sunt, quę nõ utuntur pharmacis. Et Cato uidetur condemnare usum medicorum apud Plin. lib. 29. c. 1. Et primũ medicum Romam uenisse anno ab urbe condita 535. Item condemnato ad mortem per iudicem licet non comedere, quia condemnatus ad carcerem, uel ad mortem, non tenetur fugere. Respondetur, & sit prima propositio, Quilibet * tenetur conseruare propriam uitam per alimentum. Probatur primo, facere contra inclinationem, est illicitum: sed conseruari uescendo est inclinatio naturalis. ergo non conseruare se est illicitum. Maior probatur, quia inclinatio naturalis, uel sequitur ex iure naturali, uel econtrario. ius naturale oritur ex inclinatione naturali, & siue hoc, siue illud sit facere contra inclinationem, est facere contra ius naturale: hoc autem est illicitum: ergo. Maior probatur, quia omnia animalia naturaliter inclinantur ad utendum ali-

Plin.

mentis, & inclinatio naturalis est, quam non usus, aut ratio, sed natura impressit. Sicut ius naturale est, quod natura omnia animalia docuit. Institut. de iustitia & iure. §. ius naturale. &. ff. eodem titulo, leg. ius naturale. Et confirmatur, quia hoc modo probamus multa alia esse illicita, sicut probamus quòd grauius peccant parentes, si odio habent liberos, uel etiam frater fratrẽ, aut consanguineus consanguineum, quia est contra naturalem inclinationem. Secundo, quilibet tenetur diligere seipsum, sed non conseruando uitã suam facit contra dilectionem sui. ergo illud est illicitum. Maior probatur, quia est præceptum
Matt.22. diligere proximum sicut seipsum. Matth. 22. Si ergo non teneretur homo diligere se, ergo nec proximum. Tertio, qui non utitur alimento necessario ad conseruationem uitæ, interficit se ipsum: Sed interficere se ipsum est illicitum. ergo maior patet, quia non pascere proximum tẽpore necessitatis, est occidere illum,
Ambrosi. iuxta illud Ambrosii, Pasce fame morientem, si non pauisti, occidisti. libro de officiis. & habetur distin. 89. Minor autem patet, quia ut
Augustin. Augu. dicit in de ciuitate Dei, Qui dixit, non occides, non excepit se ipsum. Vnde cum occidere se ipsum, sit occidere hominem, est illi-
Hierony. citum. Item Hieronymus, Nihil interest quo pacto te interimas: quia de rapina holocaustum

stum offert, qui vel ciborum nimia egestate, uel manducandi penuria immoderatè corpus affligit. Et S. Thom. 1. parte. quest. 97. art. 3. ad 3. dicit quòd Adam etiam peccasset, si nõ sumpsisset cibum necessarium. Ad argumenta in contrarium ad primum dico, primo, quòd si uoluntariè quis abstineret se à cibo, ut legimus apud Valerium, & Plinium de aliquibus apud gentiles, non est dubitandum, quin peccarent mortaliter, quamuis illi simul cum aliis erroribus putarent illud esse laudabile. Secundo dico, quòd si ægrotus potest sumere cibum, uel alimentum cum aliqua spe uitæ, quòd tenetur sumere cibum, sicut teneretur dare ægrotanti. Tertio dico, quòd si animi deiectio tanta est, & appetitiuæ uirtutis tanta consternatio, ut non nisi per summũ laborem, & quasi cruciatum quendam ægrotus possit sumere cibum, iam reputatur quædam impossibilitas, & ideo excusatur, saltẽ à mortali, maximè ubi est exigua spes uitæ, aut nulla. Ad confirmationem respondetur. Primo, quòd non est simile de pharmaco, & alimento. Alimentum enim per se est medium ordinatum ad uitam animalis, & naturale, non autem pharmacum: nec tenetur homo adhibere omnia media possibilia ad conseruandam uitam, sed media per se ad hoc ordinata. Secundo etiam dicimus, quòd aliud est mori ex defectu alimenti, quod imputaretur

S. Thom.

homini, & esset mors uiolenta: aliud ex ui morbi naturaliter ingruentis. & sic non comedere, esset se interficere: non sumere autem pharmacum, esset nō impedire mortem aliunde imminentem, ad quod non semper homo tenetur. constat enim quòd aliquando posset quis licitè defendere uitam suam, & non tenetur: & aliud est non protelare uitam, & aliud abrumpere. Secūdum semper est licitum, non autem primum. Ideo dicimus, q̄ si quis haberet certitudinem moraliter, q̄ per pharmacum reciperet incolumitatem, sine pharmaco autem moreretur, non uidetur profectò excusari à mortali: quia si non daret pharmacum proximo sic ægrotanti, peccaret mortaliter, & medicina per se etiam ordinata est ad salutem à natura. sed quia hoc uix potest esse certum, ideo non sunt damnandi de mortali, qui in uniuersum decreuerunt abstinere à pharmacis, licet non sit laudabile, cū creauerit deus medicinam propter necessitatem, ut ait Salomon. De secundo, Vtrum liceat omnibus alimentis uti, & loquimur in genere exceptis carnibus humanis. Primo uidetur quòd non, ut ex ueteri lege, ubi prohibentur multa, ut patet Leui. 11. tam ex animantibus, quàm aquatilibus & uolatilibus. Nec satis est dicere quòd erant præcepta cęremonialia. Quorsum enim attinebat prohibere tam multas species quadrup

drupedum, uolucrum, & piſcium? Nec uidentur habere aliquod myſterium, ſaltem omnia, ſed uidentur præcepta moralia. ergo non ceſſauerunt: cæremonialia enim pertinebãt ad cultum Dei, Exod. 18. Item Geneſ. 9. uidetur primo conceſſus uſus animalium. ergo ſaltem antea erat prohibitus. Et Gen. 1. dicitur, Ecce dedi uobis omnem herbam afferentem ſemen. ubi nihil habetur de animalibus, ergo ſaltem ante diluuium non licuit uti omnibus. Item poſt legem euangelicam, Act. 15. interdictum eſt etiam his, qui crediderunt ex gentibus, ut abſtinerent ſe à ſuffocato & ſanguine. ergo ſaltem non licet ueſci ſuffocato & ſanguine. In contrarium eſt locus propoſitus pro themate relectionis, & ibidem legitur, Omnes piſces maris manui ueſtræ traditi ſunt, quia olera uirentia tradidi uobis omnia. Exod. 18. Geneſ. 9. Geneſ. 1. Act. 15.

¶ Reſpondetur, & ſit prima propoſitio, Nullũ cibi, aut alimenti genus fuit, aut eſt prohibitum homini iure naturali. Probatur, quia omnia ſunt propter hominẽ, iuxta illud, Omnia ſubiecisti ſub pedibus eius, oues, & boues, &c. Sed homo nõ poteſt uti maiori parte illorum, niſi in alimentum. ergo nihil eſt prohibitum. Et confirmatur ex illo Gen. 1. Dominamini piſcibus maris, & uolatilibus cæli, & uniuerſis animantibus, quæ mouentur ſuper terram. Sed dominium eſt ius aſſumendi aliquid in ſuam 2 Geneſ. 1.

facultatem, ſed homo non poteſt uti multis animantibus niſi in alimentũ. ergo. Secundo, Quod eſt prohibitum iure naturali, poteſt cognoſci ratione naturali: ſed nulla ratione naturali poteſt cognoſci, q̃ ſit aliquod alimentum prohibitum. ergo. Tertio, Deus, & natura nihil faciunt fruſtra, ſed eſſent fruſtra animalia, ſi non liceret ueſci illis. ergo. Quarto, ut ait S. Thom. 1. part. quæſt. 96. art. 1. Omnia animalia ſunt naturaliter ſubdita homini. Probatur, nam imperfectiora cadunt in uſum perfectiorum, ſicut materia eſt propter formam, & plantæ propter bruta. ergo bruta propter homines. Vnde philoſophus 1. Politic. infert, quòd uenatio ſylueſtrium animalium eſt iuſta, & naturalis, quia per eam uendicat ſibi homo quod eſt naturaliter ſuum: & maiori ratione eſt dominus homo aliarum rerum. Dicitur enim Gen. 1. Faciamus hominem, ut præſit uniuerſæ creaturæ. Et confirmatur 1. Tim 4. Omnis creatio dei bona eſt, & nihil reiiciendum quod cum gratiarum actione percipitur. Moralia autem præcepta non ceſſauerunt. ergo non eſt de iure naturali prohibitũ aliquis eius. Vnde S. Tho. 1. 2. q. 102. art. 6. ad primũ ait, nulla genera ciborũ immunda ſunt immũditia cui pę ex natura ſua. Vnde Mat. 15. Nõ quod intrat in os, coinquinat hominem &c. & Actuũ 10. cùm Petrus uidiſſet linteũ, in quo erãt omnia

S. Thom.
Ariſtotel.
Geneſis 1.
1. Tim. 4.
S. Thom.
Matt. 15.
Act. 10.

quad

quadrupedia, & serpentia terræ, audiuit, Occide, & manduca. Et cum respondisset Petrus, Absit à me domine, quia nùquam manducaui commune, & immũdum: facta est uox ad eum, Quod Deus purificauit, tu commune non dixeris. Item Augustin. contra Faustum libro 6. Nihil est immundum ex natura sua. & disputat hoc ad longum contra Manichæos, c. 15. citãs illud, Omnia munda mundis. tit. 1. & uerba Aug. libro 6. contra Faustum. c. 8. ad hoc sunt, Omnis creatura Dei bona est, omnia enim quæ naturaliter sunt, in ordine suo bona sunt, & nemo in eis peccat. Manichæi autem carnes omnes immundas dicebant, & habere animas humanas. *Augustin.*

¶ Ad argumenta in contrarium, Ad primum dico, quòd omnia illa præcepta computantur inter cæremonialia, ut patet ex S. Th. 1. 2. q. 101. art. 1. Et ad rationem in contrarium respondet S. Tho. ibidem. Ad primum, quòd ad cultum diuinum, non solum spectant sacramenta, & huiusmodi alia, quæ immediatè ad Deũ ordinantur, sed etiam debita præparatio colentium Deum ad cultum ipsius, quod fit per certam rationem etiam cibi & potus. Sicut etiam ecclesiastica ieiunia in festis sanctorũ, spectant ad cultum diuinum. Omnes autem cibi, qui prohibebantur Iudæis, habent aliquem modum corruptionis & immunditiæ, sicut

S.Tho.eleganter declarat ibidē, & q.102.ar.6. præter hoc, quòd in multis obſeruantiis ciborum etiam continebatur figura & myſterium Chriſti, & ſacramentorum eius. Vel etiam poteſt dici, quòd erant præcepta iudicilia, quia ſpectabant ad bonam gubernationem populi. ¶ Ad aliud, quod eſt maius dubium, augetur dubium, quia illa obſeruantia perſeuerauit in eccleſia non ſolum tempore apoſtolorum, ſed etiam multò pòſt. Erat enim temporibus Ter-
Synodus tulliani, ut patet in apolog. c.9. & in Synodo
Gangr. Gangrenſ. & habetur diſ.30. inter errores illic damnatos. Sic habetur, Siquis carnem manducantem ex fide cum religione prętер ſanguinem, & idolo immolatum, & ſuffocatū crediderit condemnatum, anathema ſit. Et idem Rabanus in pœnitentiario, & quotquot ante quadringentos annos fuerunt: imò aiunt Grę-cos hodie obſeruare, & abſtinere ſe à ſanguine, & ſuffocato. Ad hoc reſpondet S.Tho.1.2. q.103.art.4o. ad 3. quòd hæc ſunt prohibita, nō ad obſeruantiam legalium, ſed ut ab initio poſſet cōualeſcere unio Gentilium, & Iudęorum. Iudæis enim propter antiquam conſuetudinem ſanguis & ſuffocatum erant abominabilia, & ideo interdicta ſunt Gentilibus: ſed ceſſante cauſa, ceſſauit effectus, aduenientе lege libertatis, & luce euangelica, nihil eſt reijciendum, quod cum gratiarum actione recipi-

tur

tur. 1. Timoth. 4. Idem dicitur 4. d. 1. q. 2. art. 1. Item super Marc. c. 15. Licet antiqui dixerint, inquit, quòd ab his abstinendum est, quia immunda sunt. Vnde S. Tho. bene uiderat Tertullianũ, & concilium Gangren, & Rabanum: hos enim intelligit per antiquos. Ex quo sequitur, quòd illud fuit præceptũ iuris apostolici, non diuini. Sed quæritur, quando cessauit obligare. Respondetur, primò. Per contrariam consuetudinem potuit abrogari, quia est præceptum humanum, quod per contrariam consuetudinẽ potest abrogari, ut patet ex S. Tho. 1. 2. q. 97. art. 3. & Doct. in c. 1. de treug. & pac. & c. fin. de consuetudine. & in l. de quibus. ff. de legibus. Vnde cùm iam abhinc quadringentis annis sit consuetudo in cõtrarium, abrogatum est illud præceptum. Ex quo sequitur, quòd si adhuc apud Græcos durat consuetudo abstinendi à suffocato & sanguine, non esset licitũ apud illos frangere illud præceptum apostolorum. Dico si sola consuetudine ablatum est præceptum. Hoc est probabile, sicut in nostra ecclesia fuisset peccatum ante sexcentos annos. Et ideo potest dici secundò, & melius, quòd cessante in uniuersum ratione legis positiuæ, cessat uis legis, etiam sine alia abrogatione legis, nec spectata consuetudine: quia ipso facto, quòd lex est inutilis, nõ habet uim obligandi: quia si à principio legis ita fuisset

irrat

irrationabilis, & per consequens nec obligatoria, maximè cùm esset onerosa. Sic autem est in proposito. Tota enim ratio legis illius fuit societas, & communicatio cõuersorum ex Iudaismo, & gentilitate, quæ iam nulla est. Vnde sequitur, quòd non solum iam inducta consuetudo in ecclesia, sed ante omnem consuetudinem licebat uesci sanguine & suffocato, dummodo intelligeretur causam cessasse, & ideo S. Tho. ubi suprà, non fundat facultatem uescendi illis in consuetudine, sed in eo, quòd causa legis omnino cessauit. Sicut si in tempore belli fiat aliqua lex, quæ pro illo tempore est necessaria, cessante bello, etiã ipso facto cessat lex, etiam si nõ exprimatur in lege. imò puto, quòd tempore apostolorum nõ seruaretur illa lex ubiq;, sed solum ubi erat necessaria ad illam communicationem utriusq; populi. Fortè uerum est, sed nescio cùm durauerit tandiu, pòst etiam ubi non erant Iudæi. Sed etiam facit,

1. Cor. 10. quod 1. Corinth. 10. dicitur, Omne quod in macello uænit, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam. Et si quis uocat uos infideliũ ad cœnam, & uultis ire, omne quod uobis apponitur, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam. Et quòd illa fuerit causa illius præcepti, patet: quia eodem contextu habetur, ut abstineatis uos ab immolato, similiter & sanguine, & suffocato. Sed tota ratio

tio quare prohibebatur comedere immolatũ, erat propter conſcientias aliorum, non autem quòd de ſe aliquid mali cõtineret, ut patet per Apoſtol. 1. ad Corinth. 8. ergo idem dicendum eſt de ſuffocato & ſanguine. Et ex eodem patet, quòd etiam tẽpore apoſtolorum licuiſſet gentibus extra communionem Iudæorum uiuentibus, comedere ſuffocatum, & ſanguinẽ, quia non obſtante interdicto de idolothyto, licebat ſine ſcandalo comedere idolothytum, ut patet ex uerbis Apoſtoli 1. Corint. 8. De his autem, quæ idolis ſacrificantur, ſcimus quia omnes ſcientiam habemus. & infrà, Quidam autem cum conſcientia uſque nunc, quaſi idolothytum manducant, & conſcientia ipſorum cum ſit infirma, polluitur. eſca autem nos non cõmẽdat Deo. Videte autẽ ne hæc licẽtia ueſtra offendiculum fiat infirmo. Si enim quis uiderit eum, qui habet ſcientiam in idolo recumbentem, nõnne conſcientia eius cùm ſit infirma, ædificabitur ad manducandum idolothyta, & peribit infirmus in tua conſcientia frater, propter quem Chriſtus eſt mortuus? Sic autem peccantes in fratres, & percutientes conſcientiam eorum infirmam in Chriſtum peccatis. Ex quibus uerbis manifeſtè patet, q̃ ueſci immolatis, nõ erat illicitum, niſi propter ſcandalum infirmorum: ergo eadem ratione ibi non erat opus abſtinere à ſuffocato. Sed licet 1. Cor. 8.

cet illud uideatur probabile, tamen etiam potest dici, quòd non est simile de idolothyto, & suffocato, & sanguine: quia idolothytum prohibitum est solum propter scandalum, & ideo ubi non erat scandalum, non erat opus illa abstinentia, sed de suffocato alia fuit ratio, scilicet ut conualesceret amicitia inter utrunq; populum: & quòd licet illa fuerit ratio, tamen mandatum fuit absolutum, & sic non est simile. Et præterea posset quis respondere, quòd cùm Paulus scripsit epistolam illam, non erat facta prohibitio, cùm concilium illud fuerit quindecim annos saltem post passionẽ Christi, sed ratio temporum non consentit, & pro certo epistola fuit posterior concilio. Sed potest aliter probari, quòd non fuerint propter rationem scandali prohibita: quia eadem ratione prohibita fuissent alia legalia: ergo alia fuit ratio, ut arguit Altisiodor. lib. 4. in propria quæstione de suffocato & sanguine, dicens, q̃ ad literam illud præceptum non fuit de suffocato in illo sensu, sed ne occiderent homines, id est, ne suffocarent minus potentes, & ne effunderent sanguinem humanum. Sed hoc est contra omnes doctores. Et Hieronymus expresse super illud Ezechiel. 44. Omne morticinum, & captum à bestia de pecoribus, & auibus, non comedent sacerdotes: ait, ne comederet illud, cuius sanguis effusus non est, quod

Ezech.

epist

epistola Apostolorum decreuerat. Sed contrà arguit Altisiod. & bene. Quia si illud præceptũ erat cæremoniale, contrà, quia beatus Petrus in illo concilio dixit, Quid tentatis imponere iugum super ceruices discipulorum, quod nec nos, nec patres nostri potuerunt portare? Sed per gratiam domini nostri Iesu Christi credimus saluari, quẽadmodum & illi. Actuum 15. Act. 15
Ex quo patet, quòd sententia Petri fuit, quòd non imponerentur illis cęremonialia. Et Iacobus ibidem dicit, Ego iudico non quietari eos, qui ex Gentibus cõuertuntur ad Deũ. Et aliter potest argui, quia profectò si solũ illud præceptũ erat eis impositum, quia Iudæi abominabantur suffocatum, & sanguinem, & ut possent simul conuiuere Iudæi & Gentiles, & multo magis abominabantur carnes suillas, de quibus tamen nihil prohibetur, non ergo uidetur illa causa: sed certè, quòd liceret. Et Clitouæus in antilo. lib. c. 21. ubi dicit, quòd non peccabant comedentes de immolatis, nisi esus mãducatio generaret aliis scandalum: imò ita dicit S. Tho. 1. art. 10. & 8. & etiam ex Apostolo ad Rom. 14. ubi per totum capitulum sine exceptione uidetur diffinire, quòd nihil est immundũ nisi ex conscientia, uel scandalo. Confido, inquit, in domino Iesu, quòd nihil commune per ipsum, nisi ei, qui existimat, quid commune esse, illi commune est. Et S. Tho. di- S. Thom.

cit

cit illic nihil esse prohibitum. Est etiam determinatio expressa in concilio Florẽtino, quod uide in doctrina quæ ibi datur Armeniis, ubi sic legitur, Firmiter credimus omnem creaturam Dei bonam esse, nihilq; reiiciẽdum quod cum gratiarum actione suscipitur, quia iuxtá uerbũ Domini, non quod intrat per eos, coinquinat hominem. illaq; Mosaycæ legis ciborum mundorum & immundorum ad cęremonialia asserit pertinere, quę surgente euangelio transierunt. Illa etiam prohibitio apostolorum ab immolatis simulachrorum, & sanguine, & suffocato, dicitur illi tempori congruisse, quo ex Iudæis, atque Gentilibus, antea diuersis cæremoniis, moribusq; uiuebant, & determinat, quòd iam cessante causa, cessat effectus, & nunc nulla est differentia faciendi.

3 Ad aliud, Vtrum * ante diluuium esset conces-
S. Thom. sus usus carnium, S. Thom. quidem 1.2.q.102. art.6.ad.2.dicit, quòd esus carniũ uidetur esse post diluuium introductus. Tũc enim Gen.9. dictum est, Quasi holera uirentia dedi uobis omnem carnem. & hoc ideo, quia à terra nascentia magis pertinent ad simplicitatem uitæ, esus autem carnium ad quasdam delicias, & cu-
Rom.14. riositatem uiuendi. & Rom.14. super illud, Is qui manducat, non manducantem nõ spernat, & qui non manducat, manducantem non iudicet. dicit S. Tho. Terra nascẽtia fuerunt con-

cessa

ceſſa homini ad edendum. Primo ſecundum illud Geneſ.1. Ecce dedi uobis omnem herbam &c. Sed poſt diluuium primò legitur conceſſus uſus carnium. Vnde legitur Gen.9. quaſi holera uirētia tradidi uobis omnia, ſcilicet animalium genera. Ex quibus uerbis S. Thom. uidetur dicere, quòd ante diluuium non ſolum non fuerint in uſu carnes, ſed nec fuerint licitæ. Sed quicquid ſit de hoc, uidetur primùm, quòd de iure naturali nō eſſent illicitæ, ut ſuprà probatum eſt. & confirmatur, quia per legem Chriſti nō eſt aliquo modo abrogata lex naturalis: ſi ergo nunc licet ueſci carnibus, non ergo eſt contra ius naturale. Secundo uidetur quòd nō fuerit prohibitum lege diuina etiam ante diluuium. Probatur primò, non habetur talis prohibitio. Tertio illa dicebatur ętas legis naturæ, quæ ſcilicet regebatur lege naturali, ſine aliis præceptis, ſaltem erant pauciſsima. Et S. Tho.1.2.q.103.art.1.ad quartum dicit, quòd generaliter ante legem Moyſi nulla lege erat prohibitus uſus carnium aliquorum animalium, ſed ſolum propter abominationem, uel conſuetudinem ab aliquibus. Ita ergo poteſt dici, quòd ſi ante diluuium non erat uſus carnium, hoc erat ſolum ex conſuetudine, non ex aliquo præcepto diuino ſpeciali. Nicolaus tamen Gen.9. dicit, quòd tunc profuit conceſſus uſus carnium, quia terra iam non erat adeo

Geneſ.1.

Geneſ.9.

fructifera, acceperat enim detrimẽtum magnũ ex diluuio. Idẽ dicit Abul. ibidẽ propter eandẽ rationẽ, scilicet q̃ ante diluuiũ non erat cõcessus usus carniũ. & Ge. 1. dicit idẽ Abul. Hic taxauit Deus cibos hominibus, ut scilicet carnes non comederẽt, sed fructibus uescerẽtur. Et fa-

Genes. 1. cit quod Ge. 1. dicitur, Ecce dedi uobis omnẽ herbam afferẽtem semen super terrã, & uniuersa ligna, quę habẽt in semetipsis sementẽ generis sui, ut sint uobis in escã, & cunctis animantibus terræ &c. Et factũ est ita, id est, ita fuit factum. Vnde uidetur, q̃ non habuerũt aliud in escam. Confirmatur, Ge. 9. ostẽditur naturalis esus carniũ. s. carnem cũ sanguine nõ comedetis. ergo omnino tunc cœpit usus uel cõcessio,

Aristotel. & Ari. 7. Et. c. 5. comedere carnes crudas numerat inter uitia feritatis. Hoc etiã Boët. uidetur

Boetius dicere de Consolatione lib. 1. Felix initiũ prior ætas contẽta dulcibus aruis, nec inerti perdita luxu, facileq́; fera solebat ieiunia soluere glãde. & Oui. in 1. Met. Cõtentiq́; cibis, nullo cogẽte creatis, Arbuteos fœt⁹, mõtanaq́; fraga legebãt, Cornaq́; in duris hęrẽtia mora rubetis. Et quæ decideràt, patula iouis arbore glandes, Et Pythagoras suos carnibus abstinere docuit. de quo Ou. 10. Met. Parcite mortales, dapib⁹ temerare nephãdis Corpora. & alia elegãter dicit. Argumentũ est certè, q̃ antiqu⁹ ille mos mãsit in memoria hominũ, nec poëtæ hoc finxerũt,

sed

sed acceperũt ex antiquitate. Solus Caietanus. Ge.9.dicit etiã ante diluuium licitè usos carnibꝰ. Quod probat, quia Ge.4.laudatur Abel, qui offerebat de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorũ, id est de pinguioribus. Si enim non uescebantur illis, quæ laus erat afferre pinguiores? uel in quẽ usum habebãt greges? et tamen Heb.11.laudatur Abel, q̃ potioré hostiam obtulit q̃ Cain. Sed ad hoc alii respondent, q̃ causa pelliũ, & uellerũ ad uestitũ, & etiã lactis, quod edebant. Sed contrà, etiã lac non legitur cõcesum. ergo non erat usus ꝓpter lac. Itẽ quod de uolucribus cicuribus, uel gallinis quantum ad usum nutrissent, nam nec ipsa oua concessa fuerant Gen.1. Et posset facere ad Caietanum, quòd Ge.7.dixit Dominus Noë, ut tolleret de animalibus mundis septena, & septena, de immundis uero, duo & duo. Videtur enim, quòd munda uocẽtur idonea ad uescendũ, alia uerò immũda. Sed S.Tho.1.2.q.103.art.1.ad 4.dicit, q̃ munda, & immunda distinguebãtur quantum ad sacrificium. Sed idem Caiet.2.2.q.148. artic.2.ad 3. Martini, dicit, q̃ deus primo Adæ dedit in escam uegetabilia, deinde Noë dedit animalia. Certè primũ uidetur certũ, q̃ scilicet in statu innocentiæ non fuissent usi carnibus in alimentũ: quia ligna, & plantę fuissent sufficientia ad uitam. & omnino non uidetur dubitandum quin sequuti fuissent illam institu-

tionem Gen. 1. Ecce dedi uobis omnem herbam afferentem ſemen ſuper terram, & uniuerſa ligna, quæ habent in ſemetipſis ſementem generis ſui, ut ſint uobis in eſcam. Secundo apparentiam habet, ꝙ ante diluuium non fuiſſent uſi carnibus, & uidetur ex illa prohibitione Geneſ. 9. Carnem cum ſanguine non comedetis. Vel enim prius comedebant carnes aut non. Si comedebant, uel cum ſanguine, uel non. Si comedebant carnes, non tamen cum ſanguine, uidetur quòd non eſſet opus illo nouo præcepto. Si cum ſanguine, tunc oportebat reddere rationem quare Deus antea permiſerat, & tunc de nouo prohibebat. Vnde uidetur profecto, quòd tunc cœpit uſus, & ideo docuit dominus naturalem modũ comedendi. Et tunc hoc tenendo oportet dicere, quòd licet non eſſet prohibitum iure naturali, erat prohibitum iure diuino. nec enim eſt dubitandum, quin haberẽt aliqua præcepta à Deo, quę tamen non ſunt ſcripta: uel cum conceduntur eis plantæ, uidentur negata animalia: uel fortè ſolum ex conſuetudine erat, & non ex aliquo iure. Tertio poteſt teneri cum Caietano, quòd erat uſus animalium, licet fortè non ita communis ſicut poſtea fuit, licet Auicẽna 1. c. dicat ueteres non niſi in prandiis uſos carnibus, in cœna uero ſolo pane. Poſſet etiam confirmari, quòd non eſſet licitum ante diluuium ueſci

carn

carnibus, quia Gen. 9. non conceduntur plantæ, & ligna, quæ erant prius cõcessa, sed solum animalia. ergo postquam conceduntur animalia, signum est, q̃ non erant prius concessa. Sed pro opinione Caiet. facit, si ante diluuium non sunt usi carnib⁹, nec etiam piscibus, quia idem est iudicium, & eodem modo fuerũt de nouo concessi. Ge. 9. & Gen. 1. solum conceduntur, de quo tamen doctores non faciunt mentionem. Fortè non erat præceptum de abstinentia carnium, sed inspiratio interior, quæ non facit præceptũ. Item quid Noë comedebat in arca? Et probatur omnino, quòd esset usus animalium. Et arguitur, nõ uideretur quòd esset usus in sacrificiis, si non esset usus & utilitas rerum: quia uidetur quòd non sit sacrificium de re nullius utilitatis, uidelicet, si quis comburet paleas inutiles, uel serpentem, uel corium, tunc ergo quæritur, utrum facerent sacrificia, uel oblationes columbarum, uel turturum. Si sic, ergo erunt utilia ad aliquos usus, & non nisi ad edendum, ergo &c. Si non, contrà uidetur, quòd fieret sacrificium ex eisdem rebus, sicut in lege scripta. Sed in lege fiebat oblatio columbarum, & turturum, ergo &c. Item Gen. 7. mandatum est Noë, ut tolleret in arca de animalibus mundis septena, & septena, & de immundis duo & duo, & sic dicit S. Thom. 1. 2. quæst. 103. art. 1. ad 4. quod intelligitur quoad *Genes. 7.*

sacrificium. Tunc quæro, an ex columbis, & gallinis fuerint septena aut bina. Omnino septena, quia oportebat illa multiplicari, plus ergo erant munda. ergo erant in sacrificiis, & oblationibus: ergo erant inutilia, sicut corui, sed utilia, ad edendum scilicet. & S. Thom. ubi suprà respondens ad illud Gen. 7. dicit, quòd non erant munda quo ad esum, sed quia nulla lege erant prohibita, uidetur quòd simpliciter loquebatur & ante diluuium, quia illa distinctio erat ante diluuium: nec de hoc potest haberi maior certitudo. & sic patet solutio argumentorum, & conclusio uniuersalis, scilicet quòd nullum est genus alimenti, nec in animalibus, nec in plantis, quo non liceat uti, quantum quidem spectat ad ius naturale, uel diuinum.

4 ¶ Sed restat dubium, Vtrum * liceat uti condimentis, & artificio ad edendum cibos suauiores. Ad quod breuiter respondetur, quòd etiam de se non est illicitum, nam sponsa optat dare sponso poculum conditum. Cantic. 8. & sic licet sale condire, imò præcipitur Leuit. 2. Sale &c. Quare non aromatibus? Item S. Tho. 2. 2. quæst. 142. art. 2. ad. 2. dicit, quòd circa naturales concupiscentias parum peccatur, ut Aristot. etiam dicit 2. Ethic. sequendo scilicet naturalem concupiscentiam. Sed circa alia incitamenta, quæ hominum curiositas adinuenit, plurimum

S. Thom.

Aristotel.

plurimum peccatur, ut curiosè præparati cibi, & mulieres ornatæ, unde idem uidetur iudicium de utroque.

¶ Sed uenio ad quæstionem propositam, An *liceat uesci carnibus humanis. Prima propositio est, Esus carnis humanæ est prohibitus iure diuino. Hanc propositionem aliqui probant ex eo, quod dicitur Gen. 9. Omne quod mouetur, & uiuit, erit uobis in escã quasi olera uirentia tradidi uobis omnia, excepto quòd carnem cum sanguine nõ comedatur. Videtur enim illic prohiberi esus carnis humanę, ex eo, quod sequitur, Sanguinem enim animarũ uestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum, & de manu hominis, de manu uiri & fratris eius requiram animũ hominis. Quicunq; effuderit sanguinẽ hominis super terram, fundetur sanguis illius. Itaque non uidetur posse haberi sensus illius dicti, nisi de esu humanæ carnis. Ita dicit Nicolaus & Burgens. ibidem. Sed contrà, quia Leui. 7. & 17. prohibetur esus sanguinis, & non est dubium, quòd ad literam intelligitur non de humano sanguine, aut carne, sed de quocunq; sanguine, sicut etiam decretum Apostolorum Actuum 15. ergo ita intelligendum est illud Gen. 9. & ita intelligebant Iudęi, ut patet ex Iosepho, libro antiquit. c. 7. ubi describit historiã illam Gen. 9. Et ideo Caietanus in eodem loco, scilicet Gen. 9. dicit,

Genes. 9.

Iosephus.

cit, quòd prohibetur carnibus uesci humanis illic per uerba sequẽtia, scilicet, Sanguinem animarum uestrarum requiram, ut super omnia uerba penè usq; , sanguinem illius. Caietanus enim nõ uult, quòd illa uerba sint consequentia, nec pertineant ad præcedẽtia illa, excepto, quòd carnem cum sanguine non comedetis. Sed est noua sententia, & non legit ly enim, sed utique, sanguinem utique &c. Itaque sensus est, carnem autem humanam prohibeo uobis &c. & quia quicquid licet sumere in alimentum, licet præparare, & si opus est, occidere: prohibeo autem (inquit) uobis uti carne humana in alimentum, quia quicũq; effuderit sanguinem humanum &c. Sed septuaginta illic legunt, καὶ γὰρ, etenim, & ita legunt interpretes ex Chaldæo, & Hebræo. Sed adhuc potest bene stare sensus Caietani, & placet. Itaque in primis uerbis, ueruntamẽ carnem cum sanguine non comedetis, ostendit naturalem usum comedendi carnes, scilicet, non crudas, sed coctas, aliud enim est barbarum & ferale. Postea sequitur, sanguinem enim animarum uestrarum. quasi dicat, iam statui uobis quod comedere liceat uobis: nõ enim concedo uobis carnes humanas, requiram enim sanguinem uestrum. Et ratione probatur, ut à principio arguebam. Illud est abominabile apud omnes nationes uiuentes ciuiliter, & non inhumaniter

niter, ergo est iniustum. Patet autem ex historia. Nam circa Pontum, & Danubium leguntur fuisse feri homines, qui humanis dapibus uescerẽtur. Et Sydones populi Danubii accolæ parentum & propinquorum funera uictimis & festo conuentu familiarium celebrant, cadauera autem laniata, & pecorum uisceribus admista, obsonando, epulandoq; consumebant. Et Indorum Massagetæ propinquos cognatosq; cum ad multam senectutem peruenerint, uel aliquo casu morti appropinquarẽt, iugulatos antè magno epularum apparatu aliis eduliis mistos comedunt. Et Vlysses apud Homerum narrat Lestrigonas immanes homines socios suos uerubus affixos comedisse. Et Plinius putat Caier fuisse Læstrigonum sedem, quales etiam Cyclopas describit Virgilius 3. Aeneidos. Omnes autem historici, & poëtæ tanquam feritatem & inhumanitatẽ nephandam talem consuetudinem referunt. Consequẽtia probatur, quia illud dicitur iuris naturalis quod natura dictat, & quod apud omnes est commune, si ergo omnes homines sentiunt hoc esse turpe, ita est etiam de iure naturali. Item probat Caiet. ibidem, quia alimentũ ordinatur ad id, cuius est alimentum, & per consequens debet esse ignobilius eo, ergo homo non est alimentum hominis: imò apud Gentiles tanquam infandum scelus habebatur: un-

de & Christianis hoc facinus à Paganis imponebatur, quòd in nocturnis sacrificiis infantes occisos comederint, ut est apud Tertullianum in apol. c. 5. & apud Eusebium in historia ecclesiastica. Itē à posteriori, quia omnino essent causa cædis, & homicidii, ut patet apud Barbaros, qui uescuntur carnibus humanis. Item ius sepulturæ uidetur esse de iure naturali, ut quilibet sepeliatur ubi uoluerit. ut c. fures. habetur, &c. quæsitum. 13. q. 2. & de pœnit. dist. 6. c. si quis. & de pœnit. & remiss. c. crimen. quod tolleretur, si liceret uesci carnibus humanis. Item fieret iniuria resurrectioni, cùm confunderentur corpora hominū. Item sepelire mortuos est opus misericordiæ, ut patet de Tobia, & Simonide. ergo insepultos abiicere, est impietas. Item Deut. 21. prohibebantur relinquere insepulta etiam cadauera maleficorum. Nec solum comedere carnes, sed etiam dare bestiis ad deuorandum, est inhumanum, ut legitur fuisse Caspios, Bactrianos, & Hyrcanos. & hoc uidetur ex illo loco Ge. 9. Sanguinem enim animarum uestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum. Vbi nihil aliud uidetur prohiberi, nisi ne detur bestiis humana caro in alimentum, de hoc enim agitur ibi. Item pro diro, & atroci facinore ponitur, & damnatur etiam à Paganis authoribus, potasse humanum sanguinem: ut patet in coniuratione Catilinæ,

Deuter. 21.

apud

apud Saluſtium, & Lucium Florum. Item eſt pietas naturalis etiam ad mortuos. ergo non licet abuti cadaueribus eorum. Item eſt peccatum feritatis comedere carnes humanas, ut Ariſtot. dicit 7. Ethicorum, c. 5. Sed tota difficultas eſt, An * in extrema neceſsitate liceat ueſci carnibus humanis. & uidetur quòd ſic, quia, ut impræſentiarum ſuppono, liceret uti carnibus ſuillis in ueteri lege (de quo poſtea) in tali neceſsitate, non obſtante precepto iuris diuini. ſed tantam uim habet ius diuinum ſicut naturale. ergo etiam liceret uti carne humana. Item, ad ſalutē hominis licet abſcindere membrum: quare ergo non licebit comedere carnes, & illud membrum, ſi eſt neceſſarium ad conſeruationem uitæ? Item licet uti in medicamentis carne, quam dicūt Medici Momiam. ergo in alimētis, ſi eſſet omnino neceſſarium. Hoc tamen non obſtante ſit concluſio probabilis, quòd in quacunq; neceſsitate non licet ueſci carne humana. Patet primò, quia habitum eſt tanquam immane, quòd aliqui in obſidione uſi ſunt tali alimento, ut patet apud hiſtoricos. Vide etiam declamationem Quintiliani de eo, qui legatus ad frumentum comedendum non uenit. Item, ſcilicet tenerentur homines in tali neceſsitate ueſci tali carne. cōſequens eſt falſum, cùm nūquam fecerint homines, nec aliquis hactenus conſuluerit tempore

pore famis, nec obsidionis, nec aliquis hoc auderet. Consequentia communiter probatur, quia si licet, & non est aliud medium, uidetur quòd tenerentur. Et confirmatur ex hist oria *Iosephus.* Iosephi de bello Iudaico, lib. 7. c. 8. Vbi Maria Eleazari filia in extremis quidem angustiis filium occidit, coctumq; comedit medium, reliquias autem scelerati facinoris, nec contaminatissimi, & aliâs immanissimi homines edere sustinuerunt, sed timore correpti, tales epulas sunt auersati, non obstante extrema necessitate. Caiet. tamen 2.2.q.148.art.ad secundum Martini dicit, quòd est probabile, quod in extrema necessitate uidetur, quòd non sit illicitum uti in cibum hominibus occisis in bello, licet aliâs, inquit, sit mortalissimum. Martinus etiam q.2. de gula, dicit, quòd qui sine necessitate ex sola concupiscentia & delectatione uesceretur carnibus humanis, peccaret mortaliter. Vnde uidetur dicere, quòd in necessitate non esset mortale, uel non esset peccatum. *Abulens.* Abulens. etiam 4. Regum. 6. tenet, quòd in ex- *S. Thom.* trema necessitate non est illicitum. sed S. Tho. 2.2.q.142.art.4.ad 3. dicit, quòd illa uitia, quæ excedunt humanam naturam, sunt exprobrabilia, sicut si aliquis delectaretur in comestione carniũ humanarũ, aut in coitu bestiarum, aut masculorũ. Ex hoc uidetur, quòd S. Tho. putat tam malum comedere carnes humanas,

sicut

ſicut coire cum beſtiis, quod in nullo caſu eſt admittendum. ergo nec comedere carnes humanas. Facit etiam quod Ariſtot. 3. Ethico. & 1. dicit, Sunt etiam quædam, ob quæ non licet etiam compulſum, ſed potius oportet ſumma perpeſſum tormenta mortem obire. Etiam ſi omnium iudicio neceſſarium eſſet ad uitam fornicari, non tamen liceret, & quòd liceat comedere carnes humanas, quod multo grauius eſt per ſe. Sed reſpondetur, quòd fornicatio eſt intrinſece mala, non autem eſus carnium. Sed hoc eſt petere principium. unde enim habetur illa differentia, cùm apud homines omnes ſit abominabilior iſte eſus, quàm fornicatio? Et Almayn in moralibus, c. 3. ponit concluſionẽ, Nullus metus etiã mortis excuſat actum prohibitum lege naturæ. Ex quo uidetur confirmari concluſio noſtra, uide illum. Item ſi hoc in extrema neceſsitate eſt licitum, ergo etiam ſi terrore barbarorum aliquis cogeretur comedere: nihil enim facit an timor ſit ab intrinſeco, uel extrinſeco illatus. Et mirũ eſt ſi hoc licet, quomodo nunquã fuit permiſſum nec in obſidione Hieroſolymitana ſub Veſpaſiano, ubi tot millia perierunt fame, nec in obſidione Ieruſalem ſub Ioram rege Iſraël, 4. reg. 6. 4. Reg. 6. ubi tantę fuerunt anguſtiæ, ut matres paciſcerentur de mutuo eſu filiorum, præſertim cùm Eliſæus eſſet, qui eos admonere potuit, nec

aliquis

aliquis hoc unquam consuluit in ultima fame prouinciarum. ergo nullo modo est licitum.

¶ In tertia quæst. Vtrum liceat in sacrificio uti hominis sanguine. Dato q̃ ita sit, quòd non liceat comedere carnes humanas, an liceat sacrificare ut Barbari faciũt. Et uidetur primo q̃ hoc non sit contra ius naturale. Primùm, quia multæ nationes quondam habuerunt in usu, ut Scythę Tauriq; aduenas Dianę immolabãt, Laodiceæ, uirgines Palladi, Arcades Ioui Lycæo puerum, Carthaginenses Saturno pueros etiam regiæ nobilitatis: Sapiẽtes etiã Gallorũ, Druidæ: Cimbri, Blemmyę, de quo uide Alexandrũ de Ales, fol. 193. Imò ad propitiandos deos uicti Carthaginenses ab Agatho, dicuntur nobilitatis filios mactasse ad aras. Et Germani, & Cimbri, & Senones, & penè omnes nationes hoc in sacrificiis habuerunt, ut mundarent humano sanguine, imò hac superstitione non caruerunt. De quibus legimus, quòd ex fatalibus libris Grẽcorũ, Et Grẽcũ in foro Boario confoderunt ad placandas, scilicet iras deorum. factũque hoc fuit per Cornelium Lentulum, & Publium Lucinium Crassum Consules. Item dominus præcepit Abrahæ sacri-
Genes. 22. ficare filium Isaac, Genes. 22. Non ergo debuit credere si erat contra ius naturale. Item Iephte
Iudic. 11. Iudic. 11. obtulit unicã filiam in holocaustum, & tamẽ ponitur inter sanctos, Hebr. 11. Mirum

est

est autem si hoc erat contra ius naturale, quòd ipse non intellexisset, cùm esset fidelis, esse impium, uel non admoneretur à sacerdotibus. Et maxime quia habetur, q̃ uenit spiritus Domini super Iephte, & ex illo spiritu uouit uotum, quod postea persoluit. uide S. Tho. 2.2.q.88. art. 2. ad 2. & idem. 4. dist. 38. q. 1. art. 1. q. 2. ad 2. & Heb. 11. lectione 7. & August. quæstione super Iudic. lib. 7. à pagina. 222. c. 49. ubi sub dubio reliquit, an peccauerit necne. Itẽ ipse Redemptor noster seipsum sacrificauit in cruce. *S. Thom.*

¶ In contrarium ponitur conclusio, Prohibi-
7 tum * est iure diuino & naturali sacrificare homines Deo. Probatur apertè Deut. 12. Quando disperdiderit dominus Deus tuus ante faciem gentes, ad quas ingredieris possidendas, & possederis eas, atq; habitaueris in terra earum, caue ne imiteris eas postquam fuerint te intro eunte subuersæ, & requires cæremonias earũ, dicens, sicut coluerunt gentes istæ deos suos, ita & ego colam, non facies similiter domino deo tuo. Omnes enim abominationes, quas auersatur dominus, fecerunt diis suis, offerentes filios suos, & filias, & comburentes igne. *Deut. 12.*

Item Num. 13. Dominus præcipiens, ut omnia primogenita offerrentur domino, & spectarẽt ad sacerdotem, primogenita tamen hoc unum iuuet, ut redimantur. Quicquid enim primum erumpit de uulua cunctæ carnis, quam offerũt *Num. 18.*

domino

domino, siue ex hominibus, siue ex pecoribus tui iuris, ita duntaxat, ut pro hominũ primogenitis pretium accipias. Ex quo loco Augusſ. ſuper Iud. ubi ſuprà, ſatis dicit ſignificari, quòd immolatio quidem humanæ carnis eſt prohibita, & diſplicet Deo. Ex quo loco ſaltẽ Deut. 2. non ſolùm conſtat eſſe prohibitum iure diuino, ſed naturali, quia Gẽtes non tenebantur alio iure niſi naturali, & tamen cõputatur inter abominationes eorum immolaſſe ſanguinem humanum. Sed quæ eſt ratio? Primùm de innocente eſt clara, quia eſt contra ius naturale occidere hominem innocẽtem, cùm ſit præceptum decalogi. De nocente autem uidetur maius dubium. Quid obſtat ſicut occiditur taurus in honorẽ Dei, quin homo aliàs malefi-cus, & impius, occidatur in honorem Dei? imò etiam nunc, an non pro amore Dei licet occidere infidelem? quare non eſt ſacrificium? Re-
S. Thom. ſpondetur, ſicut patet ex S. Tho. 2. 2. quæſt. 85. art. 3. ad 3. & clarius quæſt. 86. art. 1. quòd ſacrificium eſt, cùm aliquid exhibetur in cultũ diuinum conſumendum: nõ enim ſufficit, quòd offeratur ad cultum, ſed conſumatur in honorem Dei, unde calix oblatus, non eſt ſacrificiũ, ſed euchariſtia eſt ſacrificium in miſſa. Ex quo ſic arguitur, Vel nocens eſt damnatus, uel non: ſi non, non iuſtè occiditur, & eſt contra ius diuinum, imò naturale. nullus enim obligatur

ad

ad pœnam, antequam condemnetur: si autem est damnatus propter delictum, iam non occiditur ad cultũ diuinum. Si enim aliâs esset periturus, nõ occiditur pro Deo, uel honore Dei: sicut boues qui occidũtur in macello quantũcunq; lanius diceret, imò uellet occidere pro amore Dei, non esset sacrificiũ, & sic homines nocentes, & condẽnati, sacrificari nõ possunt, nec licitè, nec illicitè. Propriè enim sacrificare hominẽ Deo est, quòd illa sit causa occidendi hominẽ, quod non est de homine aliâs dãnato. Præterea etiã omne sacrificium est oblatio, ut S. Tho. dicit ubi suprà. Nõ offert autẽ quis, nec dicitur munus rei aliâs inutilis uel perdendæ. non eñ esset uel munus, uel oblatio, si quis uinum, aut bouem, aut ouem prorsus ad nullos usus profuturam daret Deo, nõ plus, quàm si lapidem, aut arenam. Offerre enim est ut aliquid sibi subtrahat, ut Deo tribuat. Cum ergo homo damnatus non sit alicuius pretii, sed pernicios̃us, non potest ex illo offerri sacrificium, aut fieri, maxime quia Leuit. 22. prohibetur offerri animal quocunq; modo morbidum. unde uidetur irreuerentia offerre hominem noxium. Restat ergo quòd nec ex homine nocente, nec innocenti possit fieri sacrificiũ Deo acceptum, & præterea uidetur, quòd uita hominis nõ sit ita propriè in potestate hominis, sicut uita aliorum animantium. Non ita est *Leuit. 22.*

dominus uitæ ſuæ, uel aliorum, ſicut eſt brutorum, qui pro ſuo arbitrio poteſt perdere, aut occidere ſine iniuria: homo autem ſeipſum occidens, facit iniuriam, & ſic uidetur, quòd uita humana potius ſit Dei, qui eſt dominus uitæ & mortis. Cum ergo ſacrificium debeat fieri ex rebus noſtris, quas Deo offerimus, uidetur, quòd non poſsit fieri ſacrificium humanæ uitæ: & in ſumma quãdo Deus debeat coli, non poſſumus ſcire niſi ab ipſo Deo: ubicunque autem fuit diuina doctrina, & prophetica, nunquam fuerunt huiuſmodi ſacrificia, ergo omnino nunquam fuerunt Deo grata. Quia ſi quis contenderet hoc non eſſe prohibitum iure naturali, excuſaremus iſtos barbaros ab impietate, ſaltem antequàm eſſet eis prædicata lex euangelica: quia excuſabantur ignorantia iuris euangelii, in quo non ſolum ſunt prohibita huiuſmodi ſacrificia, ſed quæcunq; alia, excepto unico ſacrificio miſſę, ut patet ex Paul. ad Heb. Quia Chriſtus Ieſus introiuit ſemel in ſancta, æterna redemptione inuenta. Non ſolum de ſacrificio hominis, ſed nec de quocunque alio poſſet reddi ratio aliqua, niſi quòd Deus reuelaſſet: quia cùm bonorum noſtrorum non egeat, potius uidetur abſurdum occidere in gratiam Dei animal quodcunque. Vnde ex ipſo ſolo inferri poteſt, in ſtatu innocentiæ nullum fuiſſe ſacrificium. Ad argumenta

menta in contrarium. Ad primum patet quid sit dicendum. Primo enim respondetur, quòd nunquam aliquæ nationes usæ sunt huiusmodi sacrificio, quin prius essent idolatræ. unde post tantum errorem idem dæmon, qui suggessit in deos falsos colorem, idem etiam persuasit, ut nefariis sacrificiis colerent. Vnde ille error non inuasit, nisi post alios intolerabiles errores, ut dicit Paul. ad Rom. 1. Propterea tradidit illos Deus in reprobum sensum. Secundo patet, quia Deus damnauit sacrilegos illos ritus, ut patet Deuter. 12. unde etiam Cornelio Lentulo, Publio Lucinio Crasso cõsulibus ne hominem immolare, neue habitationem sanguine litare liceret, sancitum est. Ad secundum de Abraham beatus Augustinus libro 7. super Iudic. c. 49. dicit, quòd dato quòd lege generali prohibita sint huiusmodi sacrificia, tamen iubente domino specialiter possunt fieri, sicut & seipsum occidere, & innocentes, sicut præceptũ est Sauli, ut occideret omnes habitatores Amalech. Vel fortè, inquit, putauit Abraham dominum filium suum suscitaturum, & sic nullam faceret Isaac iacturam. Sed quo modo credit illud esse à Deo, cùm haberet præceptum Dei in contrarium? Respondetur, illa reuelatio uidetur esse interior, & cui Abraham resistere non posset. Sed hoc ipso, inquit Augustin. ostendit displicere illi huiusmodi sacrificium,

Rom. 1.

August.

cium, quod inhibuit Abraham. Ad tertium de Iephte. beatus Auguſt. eodem loco multa dicit. Primum condemnat non ſolum factum & ſacrificium Iepte, ſed etiam uotum, quia uotum per ſe malum fuit: nam non uidetur cogitaſſe de ſacrificio alicuius. Nō enim dicitur, Quodcunque exierit obuiam mihi, ſed quodcunque exierit de ianuis domus meæ obuiam mihi reuertenti in pace à filiis Amon, Domino offeram illud in holocauſtum. Nec pecora ſolent occurrere ducibus à bello reuertentibus, niſi fortè canis, qui tamen ſacrificio adhiberi non potuit: unde uidetur in ipſo uoto licet non de filia, tamen de homine cogitaſſe. Quia ergo de hoc uoto, inquit, nec de facto ſcriptura aliquid diffiniuit, ſicut de facto Abrahæ, iudicandum reliquit nobis ex regul. ſcripturarum. Et poſſemus (inquit) dicere, Deo diſplicuiſſe tale uotū, & ideo permiſit ut unica filia occurreret, ut de tali uoto uindictam ſumeret: nec prohibuiſſe eum 60. dierum ſpatio, ſicut Abraham prohibuit, licet infra eodē capitulo dicat, quòd poteſt etiam dici, quòd fecit totum ex ſpiritu domini & uotum & factum, & fortaſſe ut aliqua humana uictima, Chriſti ſignificaretur uictima. Quod ſi uerum (inquit) eſt, non ſolum eius inſipientia culpanda non eſt, uerum eius obedientia laudanda. Sed potius uidetur ſtare in prima ſolutione S. Thom. 2.2. quæſtione. 88. art.

S. Thom.

88.art.2.ad 2. Satis concordat cũ illa prima ſolutione, & citat Hieronymum, quòd in uouendo fuit ſtultus, & in reddendo impius. uidentur tamen S.Thom. & Hieronymus non damnare uotum: niſi tanquam indiſcretum, quod poſſet habere malum euentum. Auguſt. autem uidetur damnare ſecundum ſe, quaſi intentio fuerit ſimpliciter hominem ſacrificare. Non enim magnum fuiſſet, ut pro tali uictoria uouiſſet holocauſtum uinius bouis, aut arietis. certè aliquod magnum uoluit uouere. Aliter dicit S.Tho.4. diſt.4. quæſt.1.artic.2.q. 2.ad 2. Idem Hebr.11.lectio.7. Sed non condemnat uotum, ſed factum, quod ſecutum eſt. Sed laudatur Iepte de fide quam habuit. Sicut & Gedeon eodem tenore laudatur à Paulo, qui tamen peccauit tentando Deum in uellere & faciendo Ephot, poſt quod fornicata eſt multitudo filiorum Iſraël. Sed de pœnitentia utriuſque creditur, ut ait S.Tho. Sed hoc iam conſtituto, quòd nec ſit licitum ueſci carnibus humanis, nec ſacrificare homines, ſequitur quæſtio moralis, An ſi quis habeat hanc ſacricrilegam conſuetudinem, uel ut ueſcatur tali carne, uel ſacrificiis tam nefandis utatur, ut ſunt barbari iſti inuẽti in prouincia Yucatan, id eſt, in noua Hiſpania, an poſſint principes Chriſtiani ſua authoritate iſta ratione bellum illis inferre, & quatenus hæc: & ſi hoc nõ poſ-

sunt sua authoritate, an saltem ex authoritate summi pōtificis hoc posint. Et quidem Aug. Antho. Archidiac. & Sylvester dicunt, quòd si quæ nationes sint quæ contra ius diuinum supernaturale, & reuelatum faciunt, coërceri non debent, nec possunt, ut desistant ab illa uiolatione, ut si qui peccant peculiariter contra legem Christianam, uel olim contra legem Mosaicam. Et ratio est, quia nō possunt conuinci manifestè quòd male faciant, & per consequens damnari iuridice non possunt: & quia nemo indānatus potest puniri, ideo non possunt illa causa, aut bello, aut alia persequutione coërceri à talibus peccatis. Hæc conclusio spectat ad relectionem de Indis, quam de hac materia author suprà egit, ibi uidere latè poteris. 3 De illo tandem dubio, utrum * sit laudabile abstinere perpetuo à certo genere alimentorum etiam in extrema necessitate. Et uidetur quòd non liceat, quia (ut suprà probatum est) homo tenetur seruare propriam uitam per alimentum. ergo ubi non est aliud alimentum, nisi huius generis, tenetur illo uti. Arguitur secundo, quia si liceret, maximè ratione uoti, quale dicuntur habere Cartusienses. Sed hoc non, ergo patet minor, quia uotum debet esse de meliori bono, ut S. Tho. 2. 2. q. 88. & doctores 4. d. 38. Et saltem illud quod sine uoto est malum, ratione uoti non fit bonum: ut si est

S. Thom.

malum

malum inebriari, ratione uoti non est bonum: sed abstinere à cibo in extrema necessitate est mortale, secluso uoto, ergo etiam posito uoto. Imò tunc uidetur egregiè procedere dictum illud, In malis promissis, rescinde fidem. Tertio arguitur, Si quis faceret uotum abstinendi à carnibus non regulariter, uel semper, ut Cartusienses, sed solùm in extrema necessitate, profectò uotum esset stultum, & illicitum. Sed non uidetur quòd reddatur melius uotum, quia simul cum hoc uoueat abstinere etiam extra necessitatem, ergo &c. Item plus obligat lex diuina, quàm uotum: sed Iudæus in extremo tenebatur comedere carnes prohibitas, ergo etiam Cartusienses. Quarto arguitur, Liceret etiam Cartusiensi in tali necessitate constituto comedere carnes, ergo uidetur quòd teneretur. quia si habet medium licitum ad conseruandam uitam, facit contra charitatem non utendo illo, ergo, &c Nulla lex humana deobligat à diuina, sed uotum est peculiaris lex, ergo, &c. In contrariũ uidetur consuetudo & authoritas religiosissimi ordinis Cartusiensis, ubi pro nulla necessitate uiolatur abstinentia illa à carnibus. Nec ualet dicere, quòd nunquam incidit necessitas, quia certè credendum est, quòd aliqui obierunt, quia non comederunt carnes. Pro dissolutione quęstionis nota, quòd Gerson in proprio tractatu de abstinen-

tia Cartusiensium, ponit duas conclusiones principales in sententia. Prima, Cartusienses in extrema necessitate constituti, seclusō scandalo, tenentur comedere carnes. Secunda, si ex tali esu carnium sequatur scandalum, puta dissolutio ordinis sui, & religionis, obligatur non comedere carnes. Easdem ponit Maior, 4. distinctione. 38. quæst. 4. & Martinus quæstione de abstinentia. Primam conclusionem probant. primo, quia talis occidet seipsum non comedendo, iuxta illud Ambrosii, Pasce fame morientem: si non pauisti, occidisti. Item nulla lex humana potest obligare ad diuina, sed iste tenetur lege diuina in tali necessitate comedere. ergo, &c. Item nulla constitutio contra charitatem habet locum, si hoc est contra charitatem, ergo, &c. Sed contra primam conclusionem arguitur 2. Machabæo. 6. Machabæi cum periculo mortis abstinuerunt. ergo licet abstinere saltem Cartusiensibus in quacunq; necessitate. Respōdet Gerson, quòd Machabæi tenebantur abstinere, quia obligabantur lege diuina, & non est transgredienda lex diuina pro corporali uitæ saluatione. Et quòd Dauid comedendo panes peccasset, nisi habuisset reuelationē. Sed Maior aliter respōdet, & dicit, quòd Machabæi tenebātur ratione scandali, aliàs debuissent comedere, unde illo seclusō in necessitate liceret comedere il-

Ambrosi.

las

las, quia maior est obligatio diuina seruandi uitam suam, quàm alia lex de non comedendo carnem suillam. & ita dicit Almain in Moral. c.3. imò quòd tenebantur. Ex quo infert Gerson, quòd si constitutio Cartusiensis diceret, quòd nō comederent carnes, etiam in extrema necessitate sub pœna peccati mortalis, nescirē, inquit, fateor, constitutionem istam defendere ab iniquitate. Hæc determinatio Gersonis, & Maioris, est ualde probabilis, & maximè declarando primam conclusionem per secundam, scilicet quòd ratione scandali potest abstinere in extrema necessitate capiendo largè scādalum, id est, ex hoc, quòd Cartusiensis illa occasione uescerentur carnibus, inciperet dispē satio, in casibus periculosis quidem, sed paulatim traheret ad multos casus, & omnes graues morbi essent occasio soluendæ abstinentiæ. & cùm Medici de industria augeant opinionem & timorem mortis in ægritudinibus, passim in infirmariis Cartusiens. uescerentur carnibus. Fatetur autē Gerson, quòd ne hoc eueniat, bene Cartusienses abstinēt perpetuò. Sed tamen si in casu occulto, ubi non posset nasci occasio, & talis indigeret carnibus, posset comedere. Sed sicut hæc opinio est probabilis, ita contra eam pono conclusionem probabiliter. Non * uidetur illicitū Cartusiensi etiam in extrema necessitate abstinere à carnibus,

etiam seclusō scandalo. Probatur primò. Si cō-
medere carnes in extrema necessitate est præ-
ceptum iuris diuini, ut ipsi dicunt. ergo hoc
esset scandalum Pharisæorum, de quo non est
habenda ratio, iuxta dictum domini, Sinite
Matt.15. illos, cæci sunt, & duces cæcorum. Matth.15.
Tunc enim maximè habet locum Gregorii
dictum, scilicet, Facilius scandalum nasci per-
mittitur, quàm ueritas relinquatur. Et confir-
matur, quia secūdum istos doctores, talis, qui
in isto casu abstineret, faceret contra præceptū
negatiuum, quod nunquam faciendum est ra-
tione scandali. Secundo arguitur, Sequeretur,
quòd quandocunq; esset periculum ne moria-
tur ex abstinentia carnium, tenetur comedere.
Consequēs est falsum. ergo probatur sequela,
quia extrema necessitas in moralibus ut cer-
tum est, uocatur, quando est probabile pericu-
lum. Falsitas consequentis patet ex ipso ritu,
& consuetudine Cartusiensium, qui nūquam
de hoc disputant, an indigeāt carnibus, necne,
& dato quòd medicus dicat eum aliās moritu-
rum, non respiciunt ad scandalum, sed omni-
no negant se daturos. Nec ualet responsio Ar-
naldi de Villanoua, qui dicit, quòd quicquid
potest fieri per esus carnium, potest fieri per
oua sorbilia. Nam ut dicit Maior, clarum est,
quòd potest ex assuetudine incidere in fasti-
dium ciborum, & omnino non posse come-

dere

dere. Tertio non ſemper quis tenetur ſeruare uitam per omne medium licitum, ut patet in multis caſibus, ubi poſſet quis defendere propriam uitam, & tamen ad conſeruationem uirtutis patientiæ quis poſſet permittere ſe occidi. Item uxor cum periculo uitæ ſuæ poteſt aſsidere, & aſsiſtere uiro laboranti, etiam ubi nõ eſt neceſſe, ſed tantùm ad conſeruationem fidei maritalis. ergo, &c. Quarto non tenetur quis ſolum ad conſeruationem uitę mutare ſe, puta de cõſilio Medicorum deſerere patriam, quia frigida eſt, uel aliquid huiuſmodi. ergo nec comedere carnes. Quinto pro defenſione patriæ poſſet quis procedere ad bellum cum probabili mortis periculo, & ubi non eſſet neceſſe. ergo pro conſeruatione & augmento uirtutis, & abſtinentiæ licet non comedere carnes. Sexto arguitur, quòd non plùs liceat comedere ſecretò, quàm publicè: quia dato quòd illud factum ſit ſecretum, tamen doctrina eſt publica: & ſi hoc liceret, non debet oppoſitum doceri, & ſi ſcandalizaret factum, etiam doctrina. non enim minorem occaſionem præbet doctrina, quàm factum. Septimo nõ ſolum ad conſeruandum, ſed ad augendum uirtutem licet ſubire mortem, ut ſuppono: ſed per hoc, quòd Cartuſienſes abſtineant perpetuò, augetur illa abſtinẽtia, & uirtus, ergo. Item nullus tenetur ducere uxorem,

ubi

ubi certò instaret periculum mortis ex castitate, si fecit uotum. ergo, &c. Ad hoc argumentum dicunt aliqui, negando consequentiam, quia hoc (aiunt) non est ordinatum ad conseruandum uitam. Sed profectò non uidetur sufficere: nam maritus si indigeret extremè, uidetur quòd teneretur accedere uxorem. ergo quòd non teneatur, est pro bono castitatis, & non quia non ordinatur per se ad uitam. Pro solutione argumentorum, notandum est, quòd aliud est non protelare uitam, aliud est abrumpere. nam primum non semper tenetur homo, & satis est, quòd det operã, per quam homo singulariter potest uiuere: nec puto, quòd si æger non posset habere pharmacum nisi daret totam substantiam suam, quòd
10 teneretur facere. Secunda conclusio, In * casu extremæ necessitatis puto quòd liceret Cartusiensi comedere carnes, aliâs lex esset intolerabilis. Posset aliter ad quæstionem responderi, distinguẽdo de extrema necessitate. Aut enim est ex fame, quia nihil habet quod edat nisi carnes, ut posset cõtingere, & in tali casu posset teneri opinio Gersonis, quòd tenetur comedere, quia tũc fame moritur, quæ est mors uiolenta, & uidetur imputari isti. Alia necessitas uidetur esse ex ægritudine, & tunc carnes se habent tanquam medicinæ, & posset dici quòd in tali casu nõ teneretur, quia tunc moritur

ritur ex infirmitate, cuius iſte non eſt cauſa, & ſic mors non imputaretur. hoc enim non eſt interficere, ſed non protelare uitam quantum poteſt, ſicut ſuprà dictũ eſt de aliis medicinis: & ſic maneret ſalua cõſuetudo Cartuſienſium, qui pro nullo periculo infirmitatis comedunt carnes. & hæc eſſet confirmatio concluſionis primæ, quòd licet abbreuiare uitam per abſtinentiam carniũ, ut poſtea dicemus per decem aut plures annos, quare non licebit ſeni octoginta annorum abbreuiare uitam per unum annum ne comedat carnes. Ad argumenta in contrarium in principio poſita. Ad primum patet quid dicendum ſit, quia tenetur modo regulæ ſufficienti, & caſus extraordinarii non cadunt, ſub obligatione. Ad quintum reſpondetur, facere uotum ſolum de hoc, quòd in extrema neceſsitate non ueſcatur carnibus, hoc nihil bonitatis habet, ſed abſolutè abſtinere à carnibus perpetuò, eſt bonum, & per hoc patet ad tertium. Ad quartũ negatur conſequentia. Ad ſecundum nego, quòd illud ſit cõtra legem diuinam, imò uidetur ſecluſo uoto ſiquis propoſuiſſet nũquam comedere carnes, poſſet abſtinere etiam in extrema neceſsitate. Fateor autem, quòd ſi regulariter & ſæpe contingeret quòd morerentur ægrotantes ex abſtinentia carnium, quòd non deberet ſeruari, ſicut ſi ut plurimum nauigantes perirent,

non

non esset licitum nauigare, nisi pro maiori bono, quàm sit uita: sed quia hoc non frequenter contingit, ferenda est hæc iactura pro maiori bono, quod sequitur ex nauigatione. Ita in proposito, licet sit aliqua iactura, quia aliquando moriuntur Cartusienses ex abstinentia carnium, tamen meritò ferunt hanc iacturam pro maiori bono uirtutis abstinentiæ. Ex hac ratione posset formari aliud argumentum pro conclusione nostra. Quia iste est pars communitatis, & ideo bene facit pro bono spirituali communi subeundo periculum mortis cũ iactura propriæ uitæ, & semper pro maiori bono licet ponere uitam. Sed est pro quodam argumento suprà facto de Machabæis, an licuisset comedere suillas carnes sine scandalo in extrema necessitate. Et certum est, quòd in casu Machabæorum erat magnum scandalum, quia exigebatur ab his in contumeliam legis. Sed si ponatur quòd fame perirent in solitudine, an tunc liceret. Variæ sunt opiniones. Et profectò quicquid dicat Maior, opinio Gersonis est probabilissima, quòd non liceret. nam tantæ authoritatis est præceptum diuinum positiuum, sicut naturale: si autem ex iure naturali esset illicitum comedere suillam carnem, non liceret etiam in extrema necessitate uesci. ergo nec etiam nunc, cùm esset de iure positiuo. Sed probabilius uidetur, quòd

utrum

utrunq; liceret in tali neceſsitate,& comedere propter neceſsitatem,ut diſcipuli uellentes ſpicas die feſto, Matth.12.ut dicit S.Tho.3.p.q.4. art.4.ad 3. & ita Machabæi bene fecerunt dieſabbati non propulſantes,ſed mortẽ oppetentes,ne uiolarent ſabbatum propter reuerẽtiam legis, & fecerunt bene poſtea pugnantes die ſabbati,ne omnes perirent. 1.Mach.2. S.Tho. 12.q.100.art.8.ad 4. imò non condemnantur Gothi, qui in Italia permiſerũt aliquot millia ex exercitu perire,ne pugnarẽt die ſabbati.Sed S.Thom.12.q.4.art.4.dicit,quòd eſſet tentare Deum, ſi quis non pugnaret in die ſabbati in neceſsitate.

Matt.12.

1.Mach.2.

S. Thom

¶Reſtat quęſtio, Vtrũ *liceat abbreuiare uitã per abſtinentiam.Et uidetur quòd non,ex illa authoritate Hieronymi.Item non liceret ſeni centum annorum tollere etiam unum annum ab ultima parte uitæ. ergo nec ſucceſsiuè perdere decẽ annos.Reſpondetur quòd ex primæ cõcluſionis abſolutione facilè poteſt liquere, quid ad hanc ſit reſpondendum. Breuiter ergo reſpõdetur per propoſitiones. Prima,Non *licet ex intentione abbreuiare uitam per abſtinentiam.Patet,quia eſt contra dilectionem ſui, quia eſt nocuum uitæ. Confirmatur.Non liceret abbreuiare uitam alterius, cuius haberet curam,ut filiorum,& ſeruorum. Secundo,Non licet abbreuiare aliis mediis. etgo nec abſtin

abſtinẽtia. Vltimò authoritate Auguſtini, qui in regula mãdat, ſcilicet, Carnem ueſtram domate ieiuniis, & abſtinentia eſcę & potus quãtum ualetudo permittit. hæc in regula ſua. & patet ex prima concluſione ſuprà determinata. Patet ergo, quòd ex intentione abſtinere contra ualetudinem, eſt illicitum: & cum ſit contra charitatem ſui, eſſet mortale. Item Auguſt. de moribus eccleſiæ 12.q.14.art.6. Regula (inquit) temperantiæ eſt neceſsitas præſentis uitæ. 13 Secũda concluſio, Non *tenetur quis protelare uitam per alimenta quantum poteſt. Patet, quia non tenetur uti cibis optimis, & delicatiſsimis & pretioſiſsimis, etiam ſi ea ſint ſaluberrima, imò hoc eſt reprehenſibile, ergo. Item non tenetur uiuere in loco ſaluberrimo, ergo nec uti cibo ſaluberrimo. Item hoc eſſet damnare omnia ieiunia eccleſiaſtica, & monaſtica. Item non tenetur abſtinere à uino, ut diutius uiuat, ergo nec econtrario. Tertia con- 14 cluſio, * Si quis utitur alimẽtis, quibus homines cõmuniter utuntur, & in quantitate, quæ ſolet ſufficere ad ualetudinem conſeruandam, dato quòd ex hoc abbreuietur uita, etiam notabiliter, & hoc percipiatur, non peccat. Patet breuiter ex ſecunda, quia non tenetur prolongare, nec mutare ſolum ad alium ſalubriorem locum, ergo nec cibum. Ex quo ſequitur corrolarium, quòd non tenetur quis uti medicinis,

nis, ad prolongandam uitam, etiam ubi esset probabile periculum mortis, puta quotannis sumere pharmacum ad uitandas febres, uel huiusmodi. Quarta cõclusio, Siquis * singulari inedia, uel cibo ita nocuo uteretur, uel scienter, uel ex propria opinione contra bonorum & sapientum sententiam, ut breui abrumperetur uita, non excusatur à mortali. Hæc patet ex prima conclusione, & ex determinatione primæ conclusionis, nisi fortè faceret peculiari consilio, & reuelatione diuina.

REVERENDI PATRIS F. FRANCISCI A VICTORIA

Relectio

DE HOMICIDIO.

An scilicet sit fortis uiri occidere se.

SVMMA.

1 *Mortem sibi consciscere, quomodo sicut semper impium, ita & mortem non solum patienter, sed liberè etiam subire, quòd plerunq; consilium, nonnunquam præceptum sit.*

2 *Interficere seipsum, quòd semper sit impium, ostenditur. Et multa de inclinatione naturali, an sit semper prona ad malum.*

3 Inclinatio hominis, quatenus homo est, quòd sit bona, & quòd ad nullum malum, aut uirtuti contrarium inclinet, argumentis probatur.

4 Deus an naturas rerum immutare potuerit, uel ab initio alias facere, quàm nunc sunt.

5 Deus quòd naturas rerum mutare non possit ab authore probari uidetur.

6 Deus suppositò quòd non possit rerum naturas mutare, quomodo fecerit hominem cum naturali inclinatione ad malum.

7 Inclinatio hominis quamuis sit ad malum, quòd tamen non sit mala malitia morali, quandiu manet intra terminos appetitus.

8 Deus quòd creauerit hominẽ sine inclinatione mala, qua appetitus inclinat ad malum.

9 Deus quod dederit appetitui naturalem inclinationem ut obediret uoluntati.

10 Homo quòd non inclinetur ad diligendum se plus quàm deum, uel proprium bonum plus quàm commune.

11 Præcepto, Non occides, quid & qualiter homicidium prohibeatur. Et de triplici opinione ibi recitata.

12 Præceptum de non occidendo, quòd sit iuris naturalis, & non positiui, sicut etiam alia præcepta Decalogi, secundum authorem.

13 Præceptum de nõ occidendo, quòd semper fuerit æquale & ante legem, & in lege, & tempore Euangelij.

14 Interficere si licebat adulteram, aut furem in lege Moysi, quòd & licuit ante legem, & licet in lege euangelica.

15 Præcepto hoc, Non occides, quomodo prohibeatur omne homicidium, quòd stando in lege naturæ sola, est

malum,

malum, & irrationabile.

16 Præcepto de non occidendo, quòd non magis prohibeatur homicidium authoritate publica, quàm priuata.

17 Occidi quomodo dupliciter potest homo, scilicet ex intentione, & præter intentionem.

18 Occidere hominem reipub. nociuum ex intentione, quòd stando in iure diuino & naturali liceat.

19 Homicidium de iure naturali & diuino permissum, quibus sit commissum.

20 Homicidium omne ex intentione, quòd præcepto de non occidendo est prohibitum seu publicæ, aut priuatæ personæ, præter quàm id, quod reip. aut publicis magistratibus, & principatibus fuerit commissum.

21 Interficere seipsum quare non liceat.

22 Obiectum uoluntatis quòd non sit solum uerum bonum.

23 Deus quòd solus sit uitæ & mortis dominus, non homo, qui quantum ad hoc, est peculiariter seruus Dei, unde occidere seipsum, est deo iniuriam facere.

24 Homo, quòd in multis casibus quamuis licitis uijs possit uitam seruare, quomodo tamen non teneatur.

25 Homo, quòd semper teneatur defendere uitam proximi, etiam quandocunque licet, quòd non sit exploratum.

26 Panem quòd liceat alteri cedere cum certa pernicie propriæ uitæ.

27 Animam ponere pro amicis licet sit stultitia huius mundi, quòd tamen sit sapientia apud Deum.

28 Damnato ad mortem quòd uon liceat se fame interficere.

29 Damnato ad mortem quòd liceat fugere, & non mor-

tem expectare.

30 *Damnato ad mortem per cicutæ seu ueneni haustum, quòd sibi liceat illud haurire, nec uidetur ad eius mortem cooperari.*

31 *Auxiliari quòd liceat amico etiam cum quantocunque uitæ discrimine. Et quid dicendum de uxore, quæ etiam cum magno periculo marito peste laboranti adsideret.*

32 *Nauigare, & artem militarem exercere etiam cum magno uitæ periculo seruatis circunstantijs quæ magis & ut plurimum contingunt, quòd liceat.*

33 *Vitam abbreuiare quòd nullo modo liceat, etsi non teneatur omnia media licita etiam facere, ut sibi uitam reddat longiorem.*

34 *Alimentis insalubribus & nocuis uitam reddere breuiorem, quòd non liceat, neq; tamen uti tenetur optimis.*

35 *Vitæ conseruandæ ratione quòd non sint omnia media adhibenda, sed solum illa, quæ ad hoc sunt de se & ordinata, & congrua.*

36 *Vita quòd non sit in discrimine pro bonis temporalibus ponenda, inter quæ gloria, honor, & fama reponuntur.*

37 *Brutus, Cato, Decius, & alij in numeri, qui sibi mortẽ conscisuerunt, utrum excusationem habebunt, eò quòd putabant in hoc se fortiter & laudabiliter agere. Et quid de Samsone, Rasia, & Saule.*

NON de nihilo dixit Ecclesiastes, Qui addit scientiã, addit & laborẽ. Habent agricolæ sua otia, habent operarii, habent oẽs opifices, & cũ diebus

diebus operosis uitã parauerint, festiuis diebus requiẽ habẽt, & pro suo arbitrio remittunt, & oblectant animos, & corda oblita laborũ. Nobis neq; festis, neq; profestis licet esse otiosos: nullas habemus studiorum ferias, nullam uacationem ab exercitiis literarum. Ecce conuenimus patres religiosissimi, uirique spectatissimi in festo tam celebri ad hanc relectionem, cùm mihi non licuit non solum in sequentem annũ ut putaram, sed neque in alium quidem diem proferre. ergo, ne supra laborem necessarium, nouum etiam in proœmiis assumamus, rem ipsam superis præuntibus aggrediamur. Argumentum à me tractãdum in præsenti relectione, non est aliquis nouus locus ad hoc designatus & in ordinariis lectionibus prætermissus, ut aliis relectionibus à me factum est, sed ut non nomine tantum, sed & re etiam sit relectio, cõstitui retractare aliqua prius in meis lectionibus disputata, nec tamen multa: nec enim possem. Sed consilium meum fuit impręsentiarum disputare quæstionem, An sit fortis uiri occidere se ipsum, uel cùm conseruare uitam posset, mortem appetere quando, & quatenus hoc aut licitum, aut laudabile sit. Ad quam quæstionem commodius examinãdam tanquam fundamentum huius relectionis sequentem conclusionem à principio pono.

1 ¶ Prima conclusio, Sicut * mortem sibi con-

ſciſcere ſemper impium eſt, ita mortem non ſolum patienter tolerare, ſed liberè etiam ſubire plerunque conſilium, nonnunquam præceptum eſt. Hanc concluſionem pro temporis anguſtia, pro tenui mea eruditione quàm potero clarè uariè uerſabo, immoraboŕque circa ſingulas partes, primo illam probando, deinde argumenta in contrarium obiiciendo, illaq́ue pro captu ingenii diluendo, ac diſſoluendo: quod interim dum facio, uos patres obſeruandiſsimi utique & ornatiſsimi oratos uelim, ut me non tam attentè, quàm beneuolè, & amicè audiatis.

¶PRIMA ergo pars concluſionis eſt, quòd ſemper eſt impiũ, interficere ſe ipſum. Hoc primò probatur, quia * occidere ſeipſum eſt contra naturalem inclinationem hominis: ſed facere aliquid contra inclinationem naturalem, eſt peccatum. ergo occidere ſe eſt peccatum. Minor eſt manifeſta, non enim homo ſolum omniaq́; animantia, ſed res omnes reſiſtunt ſuæ corruptioni, & pro uiribus adnituntur conſeruare ſe in rerum natura, ut dicitur in ſecundo de generatione, & experiẽtia apertius docet, quàm ut probatione indigeat, nec opus eſt in re non dubia argumentis uti non neceſſariis. Eſt ergo contra naturalem inclinationem hominis, ut ſe interimat. Quia autem inclinationi naturali aduerſari & repugnare ſit

illic

illicitum, non adeò exploratum est, neque ita in confessione. Si enim naturalis inclinatio semper in bonum & honestum propensa est, atque adeò nunquam malum suggerit, profectò huiusmodi inclinationem impugnare, aut in contrarium tendere, illicitum erit. Quemadmodum enim uirtuti quicquam contrafacere semper illicitum est, quòd ea non nisi ad honestum inducat: ita prorsus si id, ad quod homo suapte natura & inclinatione fertur, semper bonũ est, huiusmodi inclinationi contrauenire malum erit. Bono enim nisi contrarium malum esse non potest. Quare cùm hic sit uel primus locus, & præcipuum argumentum, quo hanc conclusionem doctores probare contendunt, operæpretium erit, si de hac ipsa re uberius disseruerimus. Et quidem sunt nonnulli, nec uulgares, neq; contemnendi, sed primi etiam Aristotelis expositores, quibus adeo non uidetur uerum, naturam semper ad bonum inclinare, & honestum, sed potius credunt naturam & gratiam, legem & naturalem inclinationem contrarias esse, sibiq; inuicem repugnare, quod multis argumentis, tum etiam testimoniis suadere conantur. Et primò argumentatur, Appetitus enim humanus fertur naturaliter in omne bonũ, bonum autem delectabile est bonum quoddam, fertur ergo appetitus in bonum delectabile natura-

liter, bonum autem delectabile plerunque est contrarium uirtuti, atque ideò peccatum atq; malum. Secundo, uirtus omnis uersatur circa difficile (ex autoritate Arist. 2. Ethic.) quòd si natura inclinaret in bonum uirtutis, certè huiusmodi bonum difficile non esset. Nihil enim aliud inclinatio uirtutis facit, nisi reddere faciles ad iucundum ipsum bonum, quod alioqui difficile erat, non ergo natura inclinat de se ad bonum, inclinat autem, ergo inclinat ad malum. Et confirmatur. Si enim homo de sua natura inclinaretur ad bonum, non essent necessariæ uirtutes, quarum hoc unum officium est tollere difficultatem illam ad molestiam bonorum operum. Atque ideo qui probabilius philosophantur, negant necessariam esse aliquam uirtutem, anteponendam quidem ad ea bona ad quæ homines sua natura feruntur & inclinantur. Nemo enim paulo eruditus est, qui putet uirtutem esse aliquam ut homines cupiant felices esse, oderint autem miseriam. Tertio, Theologi ponunt motus subitos tam in uolũtate, quàm in appetitu, nihil uerò aliud sunt tales motus, quàm inclinationes quædam naturales in malum. ergo, natura inclinat ad malum. Quarto, Nam quantum ad hoc, uel solùm, uel certè potissimum ponebatur iustitia originalis in primis parentibus, ut appetitus sensitiuus contineretur in officio, & uoluntati

luntati sine difficultate pareret, & uoluntatem ipsam rationi, rationemq; diuinæ legi & uoluntati subiectam efficeret. quòd si humana potentia non sua natura aduersaretur uel rationi uel legi diuinę, nullum fuisset aut munus aut opus iustitiæ originalis. Quinto, Homo secundum uirtutem & legem Dei tenetur diligere Deum plus quàm se, & commune bonum præferre bono priuato. Non enim charitas iuxta Apostolum, quærit quæ sua sunt, & tamen homo naturaliter diligit bonum proprium: & est ualde difficile Deum plus quàm se diligere, quia homo, ut à principio dictum est, naturaliter inclinatur ad conseruationem propriam. ergo natura inclinat contra charitatem & legem Dei. Sexto, Inclinatio appetitus est naturalis, cùm ipse sit potentia naturalis, nec eius inclinatio sit aliud ab appetitu, & tamen appetitus non obedit rationi, sed tendit in contrarium. ergo inducit in malum. Et confirmatur. Obiectum appetitus sensitiui est bonum delectabile, hoc autem plurimum est contrarium uirtuti & legi Dei. ergo appetitus naturaliter fertur in malum. Septimo, Fomes inclinat ad peccatum, ut Theologi diffiniunt secundo Sententiarum. & tamen fomes nihil aliud dicit præter naturam & naturales potentias hominis destitutas dono iustitiæ originalis, ut in eodem loco Theologi defendunt.

ergo homo per naturales potentias fertur & inclinatur in peccatum. & confirmatur hoc. Si enim homo produceretur in puris naturalibus, hoc est, sine iustitia, & sine peccato, eodem modo inclinaretur ad malum, sicut nunc inclinatur ex fomite, ergo inclinatio naturalis est ad peccatum. Adducunt deinde & aduocant in fauorem huius sententiæ scripturarum testimonia. Et in primis dictum Domini
Genes. 8. in libro Gen. 8. Sensus, & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia. Ex quo uidetur, quòd natura humana sit procliuis & inclinata ad malum. Dominus item
Matt. 26. apud Matth. Spiritus promptus est, caro autē
Galat. 5. infirma. quod exponens Apostolus ad Galat. Caro (inquit) concupiscit aduersus spiritum,
Rom. 7. & spiritus aduersus carnem. Et Rom. 7. Video aliam legem in membris meis. & plura in hanc sententiam. Et rursum alibi. Si secundū carnem uixeritis, moriemini. Et iterū, Spiritu ambulate, & desideria carnis nō perficietis. Ex quibus omnibus manifestè constat, carnis appetitum esse in malum, & contrarium spiritui & legi Dei. Desideria autem carnis sunt naturalia, cùm sint apud omnes. ergo prorsus naturalis inclinatio est in malum & in peccatum.
Aristot. 2. Ethic. Item Arist. 2. Ethic. dicit, Quòd ad hoc, quòd homo fiat studiosus, oportet ut seruet se ab his, ad quæ natura maximè inclinat. S. Thom.

2. 2. q

2.2.q.166.art.2.ad tertium.

¶His rationibus & testimoniis authores illi sententiam suam tuentur, unde etiam in naturam ipsam, illæ querelæ exortæ sunt, ut alii nouercam, alii inimicam, alii scelerum altricem, alii malorũ parentem, aliisq; inuidiosis, odiosisq; nominibus appellent, ac dehoneſtẽt. Inde etiam id quòd homo ex se non potest nisi malum. Inde adhuc ille odiosior, & omnibus mortalibus insigniter iniuriosior error, quòd omnia omnium hominum opera sunt peccata, & æterno supplicio digna, nisi misericordia Dei uenialia fierent, unum ex dogmatibus ueteranorum. Verum bona uenia tantorum uirorum & pace, non adducor nec propositionibus, neque quibuscunq; aliis argumentis, ut credam humanã naturam, quam omnipotens & sapientissimus Deus ad imaginem & similitudinem suam condidit, tam malo genio, & prauis conditionibus formatam, & constitutam, ut cùm reliquæ res omnes in fines & operationes sibi conuenientes suo ingenio & natura ferantur, solus homo non nisi in mala, atque ideo in perniciem suam & condemnationẽ feratur & inclinetur. Quare * impræsentiarum defendo inclinationem hominis, quatenus quidem homo est, bonam esse, atque adeò ad nullum malum, aut uirtuti contrarium inclinare: quod postquam autoritate

prob

probare non sufficio, argumẽtis non infirmis probabile facere contendam.

¶Et primò quidem sic arguo. Inclinatio naturæ humanæ est immediatè ab ipso Deo. ergo non potest esse inclinatio ad malum. Antecedens est notum, cùm Deus sit author ipsius naturæ, atque adeò omnium quæ consequuntur naturam, cuius in primis est tamen inclinatio naturalis. Qui enim (ut uerbis Arist. utar) dat formam, dat consequentiam ad formam. Est ergo Deus solus author & causa humanæ inclinationis. Consequẽtia uero probatur. Motus enim naturalis siue ex naturali inclinatione, attribuitur & imputatur generãti, id est, authori, & causæ ipsius naturalis inclinationis, ut Aristoteli meritò placuit 8. Physico. simulq; multis grauissimis Philosophis. Grauia enim & leuia hac una ratione à generante, & non à se ipsis moueri dicuntur, quòd eam inclinationem, atque adeò necessitatem ad motum uel sursum, uel deorsum à generante acceperint. Si ergo homo ad malum naturaliter inclinatur, illa inclinatio, & motus sequens talem inclinationem in peccatum, imputarentur ipsi Deo, quod prorsus dicere, uel cogitare impiũ est. Certè si motus lapidis deorsum, aut motus ignis sursum peccatũ esset, nulli dubium quin hoc peccatum Deo potius tribuendum esset, quàm ipsis grauibus & leuibus, quæ talem à

Deo

Deo inclinationem acceperunt. Et similiter si peccatum esset appetere felicitatem, non tam homini imputandum esset, quàm Deo, qui sic hominem constituit ut naturaliter appeteret felicitatem. Quare hæc ratio efficax est ad probandum aliquem actum nõ esse peccatum, qui procedit ex inclinatione hominis à Deo sibi data. Ex quo etiam loco arguit S. Tho. & alii Theologi graues nõ inualidè ad probandum, quòd prima operatio angeli non potuit esse mala. Cũ enim prima operatio sit dilectio sui, omnes enim aliæ operationes ex ista proficiscuntur, ut Arist. docet in Ethicis, Amicabilia quæ sunt ad alterum, sunt ex amicabilibus quæ sunt ad se primã operationẽ angeli: oportet fuisse amorem sui: Cùm ergo ex naturali inclinatione ad talem amorem inclinaretur, fieri non potuit, ut ille amor malus esset. Et sic prima operatio angeli non potuit esse peccatum. Secundo probatur idem. Nõ posset Deus producere in anima habitum uitiosum inclinantem ad peccatum: hoc enim repugnat diuinæ bonitati, ergo neque potuit dare animæ rationali aut homini uitiosam inclinationem, qua scilicet ad peccatum inclinaretur: nõ enim minus esset causa, inclinatio uitiosa mali actus, quàm uitiosus habitus. Tertio, Non posset Deus producere habitum inclinantem ad falsum, ergo nec inclinationem ad malum. Patet

con

consequentia. Nam non minus repugnat Deo inclinare ad peccatum, quàm ad falsum, imò multo plus: qui ergo non potest producere inclinationem ad falsum, multo minus potuisset dedisse inclinationem ad peccatum. Assumptum autem patet: ea enim est unica probatio Doctorum, quòd fidei non potest subesse falsum, quia scilicet est infusa à Deo, non ergo potest Deus infundere habitum ad falsum inclinantem. atque ista ratione probari quodam modo possunt prima principia, quâuis per se nota. Quid enim est si quis fatere tur quidem se cogi ad assentiendum huic propositioni, quòd omne totum est maius sua parte, diceret tamen se timere ne fortè deciperetur, quemadmodum & homo aliquando cogitur ad credendum aliquid hominum authoritate, quibus fidem non habere homo non potest, & tamen fieri potest ut decipiatur? Quid inquam, si quis diceret ita de primis principiis, an non aliqua ratione induci posset ad assentiẽdum illis? Ego uero puto, si quis mihi recipiat, Deum neq; mentiri, neq; decipere posse, quòd concedet etiã naturam rationalem esse à Deo creatam cum hac necessitate, & inclinatione consentiendi his principiis, & manifestè tenetur & conuincitur talia principia uera esse. Si enim falsa sunt, & Deus humanum intellectũ cogit ad assentiẽdum illis,

aperte

apertè constat Deum homines decipere, & per consequẽs mentiri. Simili ergo modo, si Deus produceret quencunq; habitum inclinantem ad falsum, meritò & mendacii & deceptionis argueretur. Quarto, Si homo induceret alium ad peccandum, peccaret, ergo similiter si Deus inclinat homines ad peccandum, peccat, quamuis non ualeat apud Theologos consequentia, Deus concurrit cum homine ad peccandum, ergo peccat. Tamen recipient istam, Deus se solo inducit homines ad peccandum, ergo peccat. Sicut consequens est impossibile, ita & antecedens, Deus autem se solo est causa inclinatiõis humanæ: si ergo per talem inclinationẽ homo induceretur ad peccandum, uidetur etiam quòd Deus inducat ad tale peccatum. Item uoluntas humana nõ fertur in Deũ, nisi mediante ratione: ratio autem semper inclinat ad iudicandum, quòd omne malum est euitandum: ergo uoluntas non inclinat ad malum. & tãdem si inclinatio ad malum est à solo Deo, ut ipsi fatentur, non uideo quare negant, quòd Deus sit causa peccati, quod omnes Theologi tanquam impium semper reiecerunt. Quòd si rationes nostræ, ut uidemus, superiores, & probabiliores sunt, de scripturis etiam oportet aliquod adducere. Et primo omnium facit authoritas Iacob. Nemo, inquit, cùm tentatur, dicat, quòd à Deo tentatur, Iaco. 1.

tatur, Deus enim intentator malorum est. Ex quo loco sic arguitur, Si inclinatio naturalis tentaret ad malum, Deus esset tentator malorum, quod est contra Apostolum. ergo impossibile est, quòd natura tẽtet ad malum. Assumptum probatur. Nihil enim est tentare, nisi facere inclinationẽ ad malum. Si ergo Deus fecit & dedit talem inclinationem homini ad malum, qualem isti dicunt esse naturalem inclinationem, certè Dæmon non tentaret, cur ergo Deus tentare non diceretur? Secundo, id
Eccles. 7. Ecclesiastes 7. Fecit Deus hominẽ rectum. & ipse immiscuit se infinitis quæstionibus. Certè nõ uidetur Deum hominem rectum fecisse, si cùm ista pessima inclinatione & maledictione creauit, qua natura eius ferretur ad malum. Sed in primis uidetur facere, quòd Sapientia diuina attingit à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter, ut per Salomonem ipse testatur. Non esset uero suauis dispositio, si cùm Deus homini legem & præcepta dedisset, naturã in contrarium trahentem, uocantem & allicientẽ dedisset. Cùm enim Deus hominem cõdiderit ad laudandum creatorem suum, uitamq; æternam ab illo promerẽdum, non utique tanquam sapiens architector hominem fabricauit, si naturam dedit fini repu-
Genesis 1. gnantem, & incommodam illi dederit, cùm tamen uidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant

ualde

ualde bona. Et alibi, Dei perfecta sunt opera. Profectò non uidetur opus aut ualde bonum, aut perfectum, si hominem cum huiusmodi inclinatione feciſſet. Et demum ut quid Deus hominem non fecit propensum, & procliuum ad bonum potius quàm ad malum? ad legem suam quàm ad transgressionem legis? an quia non potuit? Hoc uerò quid stultius, quid indignius diuinæ maiestati excogitari posset? An quia non uoluit? Inuidit ergo Deus mortalibus hanc felicitatem, qua tamen maximè ad diuinorum præceptorũ usurus esset obseruantiam. Angelos certè Deus non hac conditione creauit, ut non nisi ad peccatum & malum tantum inclinarentur. Quæ ergo ratio esse potuit, ut hac parte tanto benignior & æquior angelis esset, quàm hominibus, qui de Deo quidem non poterant esse meriti? Videmur ex parte probasse hominem sua natura non inclinari ad malum, sed relictum potius in manu consilii sui, ut utrumlibet pro suo arbitrio sequeretur, siue bonum, siue malum. Superest ut argumentis in contrarium adductis utcunque satisfaciamus, ad quorum expeditionem illud in primis meminisse oportet, hominem esse compositum ex duabus naturis, rationali, scilicet, ac sensitiua, quas apostolus ad Roma. 12. interiorem, & exteriorem hominem uocat: quod non est sic intelligendum,

ut anima ipsa sit interior homo, aut natura rationalis, corpus uerò natura sensitiua: sed totus homo secundũ spiritum est homo interior idem uerò secũdum carnẽ est homo exterior, & natura sensitiua. Secundo est aduertendum, ꝙ quia homo est homo simpliciter in quantum rationalis, non in quantum sensitiuus: inclinatio hominis absolutè est inclinatio hominis in quantum homo est, scilicet, inclinatio uoluntatis, & intellectus, & non inclinatio partis sensitiuæ, quę aut non est inclinatio hominis, aut non in quantum homo est, sed secundum quid, & non absolutè. Comparatur enim appetitus sensitiuus ad hominem quasi aliquod extrinsecum, nec plus debet dici inclinatio hominis, inclinatio appetitus, quàm inclinatio dæmonis aut mundi. Cupit enim & mundus & dæmon trahere humanam uoluntatem ad malum, cupit etiam nunc appetitus. Sed sicut non interest nostra, quòd aut mundus, aut dæmon suggerat, sed quod ipsi per uoluntatem & rationem prosequamur, ita eadem ratio est de appetitu, ac si esset à nobis separata. Nec enim quòd caro nobis suadet, imputatur, nec opus nostrum, aut desiderium dicitur, sed id tantum, quòd per liberum arbitrium acceptum habuerimus, & secuti fuerimus. Quare quanquam sint nonnulli, qui etiam defendere uelint, nec ipsum etiam appetitum inclinare

clinare ad malum ex ſpecie aut ex natura ſua, ſed ex peculiaribus uniuſcuiuſque conditionibus, quas non à Deo, ſed à patria, uel à parentibus, uel aſtris unuſquiſque contraxit: tamen ego non nego quidem ſenſualitatem trahere & tendere ad malum, & peccatum ex ſpecie, & natura ſua, ſed nego cauſam eſſe humanam inclinationem aut conditionem: imò contrarium, quemadmodum motus appetitus uoluntatem precedentes, actus humani dicuntur, atque adeò ſimul uerum eſt, quòd appetitus ſenſitiuus inclinatur contra uirtutem: homo uerò interior, qui ſimpliciter eſt homo, inclinatur ad uirtutem. Vtrunque Apoſtolus, ſignanter & diſertè expreſſit ad Rom. 12. Con- Roman. 12.
delector, inquit, legi Dei, ſecundum interiorem hominem: uideo autē aliam legem in membris meis repugnantem legi mētis meæ. Quod tamen Paulō aliter ad ſe pertinere arbitratur, quàm angelus ſathanæ, qui eum colaphizabat. Et ſicut manente uera inclinatione hominis ad uirtutē erat angelus ſathanę, eum colaphizans, ita aduerſante, & contranitente appetitu ſenſitiuo manet integritas humanæ uirtutis, quæ eſt hominis integritas, in quantum homo eſt. ¶ Verum reſtat ſcrupulus ex hac reſponſione. Nam æquè eſt à Deo inclinatio appetitus ſenſitiuus, ſicut & uoluntatis: ſi ergo inconueniēs dicitur, quòd Deus ſit cauſa inclinationi

uoluntatis ad malum, quare non idem habeatur pro inconuenienti de appetitu sensitiuo? quare inquam sapientissimus creator, & conditor rerum malam inclinationem dedit appetitui, & carni, & nõ potius bonam, quæ magis conuenire uidebatur illi infinitæ bonitati? Dico primum omnium, dubium est certè inter
4 Theologos, & Philosophos, An * naturas rerũ Deus immutare potuerit, uel ab initio aliàs facere, quàm nunc sunt. Et quidam sunt qui putent cum Gabri. 4. dist. 1. quæst. 1. Quamuis Deus species quidem rerum, & essentias uariare non potuerit, neque enim potuit aut hominem, aut bouem alterius speciei facere, quàm fecit, potuit tamen proprietates, & inclinationes naturales immutare, potuit (inquam) ignẽ frigidum naturaliter facere, & aquam calidam, ac rursum nigram niuem, & album coruum. Quod tali ratione probatur. Nam posse Deum ignem frigidum facere, aut calidam aquam, & cætera huiusmodi, dubitari non potest. Potuit ergo Deus ab initio aquam calidam facere, aut frigidum ignem, leuem terram, grauem aërem, & legem ponere, ut sic perpetuò perseuerarent. Qua lege posita, illud esset proprium, aut naturale talium rerum. Nihil enim aliud est rerum natura, quàm id quod ab initio (ut Augustinus ait) Deus rebus materiæ dare uoluit. ergo potuit Deus

contrar

contrarias naturas & inclinationes dare rebus quàm dedit. Et confirmatur. Nam potuit Deus res nudas creare, id est, essentias, sine quibuscunque accidentibus, aut proprietatibus: ergo non necessario creauit cum his conditionibus & proprietatibus, quas nunc habent. Hanc sententiam quanquam Theologi & authores nonnulli, qui in pretio habentur, defendunt, non puto esse probabilem, nec ueri simile m. Vnde puto, quòd * Deus non potuerit quidem ignem calidum naturaliter frigidum facere, aut non naturaliter calidum, aut niuem nigram, aut leuem terram, & in uniuersum naturales inclinationes tollere, aut mutare. Quod sic probatur. Nam primum omnium, multæ sunt proprietates, & aptitudines rerum, quæ secundum communem opinionem, non conueniunt rebus per aliquas qualitates superadditas, sed immediatè per suam essentiam: ut uerbi gratia, Si risibile non conuenit homini per aliquam qualitatem superadditam secundum opinionem istorum, sed per essentiam, potuit quidem Deus facere, quòd homo nunquam rideret, non autem quòd non esset risibilis: quia Deus non potest tollere effectum causæ formalis, manente causa formali. Si ergo homo est formaliter risibilis per suam essentiam, non potuit Deus facere quòd

ſua natura non eſſet riſibilis. Secùndo ſic arguo, Aqua cum concurſu Dei generali producit frigiditatem in ſe, ut patet in aqua reducente ſe ad frigiditatem. Ergo Deus non potuit facere quin cum tali concurſu eſſet frigida, & per conſequens naturaliter frigida. Conſequentia probatur. Nam detur oppoſitum, Faceret Deus, quòd aqua naturaliter eſſet calida, quæro, an aqua cum concurſu Dei generali poteſt reducere ſe ad frigiditatem, uel non. Si potuit, ergo non erat naturaliter calida, ſi non potuit, ergo nec nunc poteſt, quia concurſus generalis Dei non potuit eſſe maioris actiuitatis, quàm nùc eſt, & ab eiſdem cauſis ſemper producitur ſimilis effectus. nec Deus poteſt facere, quòd cauſa naturalis, quæ nunc non poteſt in aliquem effectum, cum concurſu generali poſſit in illum concurſum uerbi gratia, nunc non poteſt homo ſuſcitare hominem cum concurſu generali Dei. ergo Deus non poteſt facere, quòd homo id poſsit cum tali concurſu: nec Deus ipſe poſſet cum generali concurſu facere quod nunc non facit. Sicut ergo Deus non potuit facere ut homo naturaliter poſſet ſuſcitare mortuum, ita non poteſt facere quòd aqua produceret calorem, aut quòd naturaliter lapis aſcenderet ſurſum. Et confirmatur. Aut eſſentiæ rerum, aut ſpecies

cies de se sunt indifferentes ad quamlibet proprietatem, aut non. Si non, ergo non potuit fieri, quin id, ad quod essentia magis inclinatur, sit magis naturale, si sint indifferentes. Verbi gratia, Si natura ignis nuda, est indifferens ad calorem, & frigus. Ergo cum concursu generali non plus produceret calorem, quàm frigus, & per consequens non poterit esse magis naturale unum quàm aliud. Et confirmatur exemplo. Deus non poterat facere, quòd cœlum naturaliter inclinaretur ad quietem uel ad motum à Septentrione ad Meridiem, ergo nec alias naturas rerum potuit mutare. Antecedens probatur, Si cœlum naturaliter inclinaretur ad istum motum contrarium quem nunc habet, uel ad quietem, non posset cum concursu generali moueri ad motum contrarium. Et confirmatur ualidè, quia si potest Deus mutare naturas rerum, faciat, ergo quòd aqua sit naturaliter calida. Sic arguo, Calor nunc cum concursu generali sufficit corrumpere aquam. ergo cum simili concursu potuisset tunc corrumpere. ergo non est ei calor naturalis. non enim posset nunc Deus cum solo concursu generali impedire ne calor corrumperet aquam, & non est impotentior quàm à principio. ergo nec tunc potuit. Certè puto quòd argumentum concludit. Item Deus non potuit

hominem naturaliter facere incorruptibilem. Item non posset agens naturale cum concursu generali inducere formam aquæ in materiam indispositam per calorem & siccitatem. Ergo, calor & siccitas non possunt esse naturales aquæ. Vt enim arguebatur, quicquid creatura potuit posse (ut ita dicam) cum concursu Dei, potest nunc cum simili concursu: imò potuit omnes res naturaliter facere incorruptibiles. Potuit enim facere, ut quælibet qualitates essent naturales formis substantialibus, & sic quòd non possent corrumpi. Hoc ergo præsuppositio, quòd * non 6
potest Deus naturas rerum mutare, dico, quòd Deus fecit hominem, cum hac naturali inclinatione ad malum, quia aliter fieri non 7
poterat. Secundo dico, quòd * talis inclinatio quamuis sit ad malum, non tamen est mala, quandiu quidem manet intra terminos appetitus sensitiui: malum inquam malitia morali: nam malitia pœnæ non inconuenit, cuius Deus semper est causa: sicut non dicitur mala inclinatio qua leo inclinatur ad homicidium. Sicut enim appetitus inclinat hominem ad malum, ita etiam obiectum ipsum, ut delectabile, aut utile inclinat etiam ad malum, & tamen natura ipsius albi, aut cibi dulcis bona prorsus est. Neque unquam aliquis conqueritur de Deo, quòd aurum pulcherrimum

fece

fecerit, aut uinum ſuaue. Ita prorſus nunquam de appetitu ſenſitiuo mouet hominem ad malum, non aliter quàm ipſum obiectum. Item dico, quòd appetitus inclinat ad malum, non ipſius appetitus, ſed hominis: ſemper enim appetitus naturalis eſt conueniens. 1.part.quæſt. 8 31.art.1. Tertio dico, quòd * Deus hominem creauit ſine tali inclinatione mala, creauit enim cum iuſtitia originali, quæ appetitum ſubiiciebat rationi, & nullo modo inclinabat ad malum: quòd ſi poſtea ſua culpa incidit in hunc laborem, ſibi potius, quàm diuinæ ſapientiæ imputandum eſt, non plus ſanè, quàm ſi oculos ſibi erueret, quos illi creator dediſſet, conqueri de creatore ſuo non poſſet. Quarto 9 dico, quòd * dedit appetitui naturalem inclinationem ut obediret rationi, & ſic tandem tota inclinatio eſt bona. Et iſta pro argumentis ſatis eſſe uidentur, quatenus ad inclinationem appetitus ſpectabant. Sed aliunde arguebat, quia ſcilicet homo tenetur diligere Deum plus quàm ſeipſum, & commune plus quàm priuatum bonum, & tamen inclinatio hominis naturalis eſt in contrarium, atque adeò in malum. Ad hoc quanquam ſint clari philoſophi & theologi, qui ita eſſe arbitren- 10 tur, ego * uerò nego hominem inclinari ad diligendum ſe plus quàm Deum, uel proprium bonum pluſquam commune. Sicut enim men-

brum plus inclinatur ad bonum totius, quàm ad bonum proprium, periclitatur enim manus pro ſalute totius: ita etiam ex naturali inclinatione homo, quem Deus fecit partem reipublicæ, natura inclinatur ad bonum publicum plus quàm ad priuatum: & cùm Deus ſit bonum utile, plus etiam homo diligit Deum, quàm ſeipſum, ſicut tota experientia docet, quòd aqua aſcendit, deſerens conueniens ſibi bonum propter integritatem & cõtinuitatem uniuerſi. Non eſt autem cõſentaneum ut deus rebus inanimatis aut membris corporis inclinationem dederit conuenientem ſuo fini, homini autem negauerit. Sunt uerò qui hoc ipſum negant, ſcilicet, membrum plus inclinari ad bonum totius, quàm ad proprium, nec membrum ſe exponit (ut aiunt) periculo pro ſalute totius, ſed ipſum totum membrum tremens & reſiſtens opponit pro ſe. Sed certè hoc ipſum eſt inconſonum rationi, & eſt condemnare induſtriam diuinam, dicere, quòd Deus cùm mẽbra corporis fecerit ſolum propter bonum totius, & non propter ſe, tamen membris dederit inclinationem contrariam bono totius, quaſi uerò pedes ſibi, & non homini ambularent, & aures ſibi, & non homini audirent, & oculi &c. Et ut de membris hominis audiremus non à ſe, ſed à toto exponi, quid de aqua dicturi ſumus, cùm ſurſum aſcendit,

dit, an non ipsa se sursum mouet, an potius imaginandum est totum uniuersum concurrere ut aquam moueat? Profectò dicendum non est. Quod si ita est, ut certè est, cùm Deus fecerit hominem potius propter se, quàm propter hominem, absurdum est dicere non dedisse inclinationem suo fini conuenientem, qua plus ipsum Deum, quàm se diligeret.

¶Error tamen iste emanauit, quòd uiderent hominem cum magna difficultate, aut uitam, aut etiam bona temporalia ponere pro Deo, aut pro bono publico: quare ex hoc arguunt non inclinari naturaliter ad bonum publicum. Sed hoc perinde est, ac si quis dicat, hominem non amare propriam uitam plus quàm unum membrum, cùm uideant grauari nimis, & cum magna molestia, & difficultate secare aut urere membrum propter salutem totius: aut si quis neget aliquem cupidum esse uitæ, ideo quia potionem amaram non libenter sumit. Inde non statim si quis ægrè & molestè ferat aut uitã, aut fortunas perdere propter Deum, aut propter bonum publicum, non inquàm statim arguendum est, hominem non plus naturaliter Deum aut commune bonum diligere, quàm priuatum. Vt enim Doctores docent, gratia non est contraria naturæ, sed perficit naturam, & naturalem inclinationem: difficultas autem prouenit tum ex appetitu,

tum

tum etiam quia licet plus inclinetur ad bonum totius, tamen etiam inclinatur ad alia bona, & sic patitur difficultatem, sicut de proiciente merces in mare. Atque id demum cogitandum est, non esse Deum deteriorem artificem ipso homine, cùm tamen artifex homo, si quod instrumentum ad aliquem finem fingat, curet omnem aptitudinem ad talem finem instrumento dare, idoneumque suo fini facere: quare ergo Deus, qui omnia fecit propter se, non talem inclinationem suæ creaturæ credatur dedisse, qualem ad illum finem conuenire nouerat? Nos ergo amoliamur huiusmodi querelas de summo artifice, ac cõditore, credamusq; naturam non nisi ad bonum inclinare, atque ideo omne quod est contrarium naturali inclinationi, esse malum. Perditio enim tua Israël. Salus autem maximè ex me. Osee 13. Cum ergo, ut à principio arguebam, interficere seipsum sit contra naturalem inclinationem, ergo est illicitum, quod erat primum argumentum ad probationem conclusionis.

Osee 13.

¶ Secundo principaliter probatur eadem cõclusio. Occidens seipsum, facit contra præceptum decalogi, Non occides: quod habetur Exo. 20. & Deutero. 5. ergo peccat & mortaliter. Hoc est argumentum beati Augustini 1. de Trinitat. ad probandum, quòd occidere

dere seipsum, sit illicitum. Sed ut apertius constet quam uim habeat argumentum, sicut etiam de primo fecimus, conuenientissimum est etiam examinare quod prohibetur in illo præcepto, Non occides: cum in scriptura non inueniatur alibi prohibitum, aut reprehensum seipsum occidere. aut ex illo præcepto oportet esse illicitum, aut reuocari in dubium potest, an liceat se interficere. Cum enim præceptum sit absolutum, Non occides: & in multis casibus licitũ sit occidere, ut certo constat, dubitari * merito potest, quid illo præcepto & qualiter homicidiũ prohibetur. Quidam ergo ita intelligunt præceptum, ut absolutè prohibeatur occisio cuiuscunque hominis, siue priuata authoritate, siue publica, siue nocentis, siue innocentis. Sed ab eo præcepto tanquam à canone generali excipiuntur lege diuina aliqui casus, in quibus licet occidere: uerbi gratia, homicida iuste à magistratu occiditur. Sed dicunt, quòd nisi hanc facultatẽ haberent à Deo ex sacra scriptura, quæ iubet, ut qui occiderit, occidatur, ut patet Leuit. 19. magistratus occidens latronem faceret contra illud præceptum, Non occides. Itaq; sine quocunq; alio præcepto præter id, Non occides, erat sufficienter prohibitũ regi occidere etiam malefactorem, nisi dominus excepisset de homicida, & quibusdam aliis malefactoribus. Et

sic

sic apud istos in nullo casu licet etiam publicis potestatibus occidere, nisi in casibus expressis à iure diuino. Vnde ortum habuit illa opinio, quòd non licet inter aut adulteram, aut simplicem furem, quia non est expressum in iure diuino: neque adulterium, quia licet fuerit expressum in ueteri Testamento, tamen est reuocatum à Domino per illa uerba Ioan. 8. Nemo te condemnauit mulier, neq; ego te condemnabo.

¶ CONTRA hanc sententiam arguitur, Illud quod est de se licitum, & per se bonum, non est prohibitum præcepto diuino, sed occidere hominem in casu, est per se bonum, uidelicet in defensionem sui, ergo non est prohibitum illo præcepto, Non occides. neque indiget excipi à regula id, quod nullo modo potuit cadere sub regula. Si ergo occidere inuasorem non potuit cadere sub præcepto, Non occides: non est factum licitum, quia exceptum sit ab illo præcepto. Item in lege data Moysi fuit aliquando licitum occidere, aliquando non, & tamen non erat facta talis exceptio in iure diuino plus de homicida, quàm de adultera, ergo uel utrunque licebit, uel neutrum. Et quæro, ante legem Moysi, an licebat interficere blasphemum & homicidam, uel non? Si non, contrà, Quicquid nõ licuit in lege naturæ, nunquam licuit. Non enim

enim lex Moysi, aut lex gratiæ sunt dispensationes legis naturæ, sed potius econtra, multa licebant in lege naturæ, quæ in lege Moysi prohibita sunt: si licebat interficere in lege naturæ adulteram, ergo sine exceptione neq; expressione in iure diuino licuit in lege Moysi. Et ideo alii dicunt, quòd in præcepto, Non occides, prohibetur solum mors innocentis. & illud præceptum Exod. 20. Non occides, uidetur explicatum Exod. 23. Insontem & iustum non occides. Sed contra hoc est, quòd priuatus occidens peccatorem, & sontem, facit contra illud præceptum, Non occides: si enim non peccat contra id præceptum, Non occides, nusquam alibi in iure prohibetur occisio nocentis hominis. Quare cùm certum sit etiam apud istos priuatum hominem reum esse homicidii, etiam si nocentissimum occidat, certum est illo præcepto non prohiberi solum innocentis occisionem plusquam nocentis. Alii, qui propius ad ueritatem accedunt, dicunt, quòd prohibetur illo præcepto occisio hominis priuata authoritate: sed neq; isti quidem sufficienter uim illius præcepti explicarunt. Si enim respublica, aut rex innocentem hominem occideret, facit contra id præceptum, ut certum est: ergo non occidere prohibetur absolutè priuata authoritate, aut permittitur occidere publica. Neque ualet

ualet dicere, quòd qui interficit se defendendo, occidit publica authoritate: quia habet authoritatẽ à Deo per ius naturale. Hoc enim ineptum & ridiculum est. Hoc enim modo neque comedere, aut bibere nisi publica authoritate licet. Non enim liceret, nisi à iure diuino esset permissum. Et ideo dimissis uariis
12 opinionibus, dico primò, quòd *hoc præceptum est iuris naturalis, & non positiui, sicut etiam alia præcepta decalogi. Quod patet, quia in lumine naturali semper fuit notum homi-
13 cidium esse culpabile, & illicitum. Secundo infertur ex hoc, quòd * id præceptum semper fuit æquale, & ante legem, & in lege, & tempore Euangelii. Patet, quia lex naturalis nunquam mutatur. Nec enim abrogatur, aut limitatur, aut extenditur. Est enim lumen si-
14 gnatum super nos à principio. Tertio infero, quòd * si licebat interficere adulteram, aut furem in lege Moysi, & licuit ante legem, & licet in lege Euangelica. Quarto dico, & infe-
15 ro, quòd * illo præcepto prohibetur omne homicidium, quòd stando in lege naturæ sola, est malum, & irrationabile: & ad hoc solum oportet respicere, & non ad exceptiones, uel promissiones factas in lege. Omnia enim illa uel solum sunt iudicialia, quæ iam cessauerunt: aut si sunt moralia, sunt explicatiua iuris naturalis. Quare ergo ad id est ultimo refe-

rendum

tendum, quando licet occidere, & quando non. Ad quod tamen iuuat scripturas consulere, neque hoc est (ut aiunt) explicare idem per seipsum, aut ignotum per ignotius. Non est enim homicidium malum, quia prohibitum: sed prohibitum, quia malum. Quare ad intelligendum quid sit prohibitum per illud præceptum, Non occides, optimè respondetur, quòd per causam, quòd omne id est iure
16 naturali malum. Quinto dico, quòd * in illo præcepto non magis prohibetur homicidium authoritate publica quàm priuata. Alia enim quæstio est, quem, & quando licet occidere: & alia quæstio est, cui licet occidere, & aliquando est malum publica authoritate. Sexto,
17 quòd * dupliciter potest occidi homo. Vno modo ex intentione, & certo proposito, ut iudex intendit priuare uita malefactorem. Alio modo præter intentionem, non dico solùm à casu, & uoluntariè, sed propter alium finem, quem si posset occidens aliter consequi, non occideret: sicut cùm quis in defensionem sui, uel etiam Reip. occidit inuasorem, quem non occideret, si aliter posset se defendere. Septi-
18 mo dico, quòd * ex intentione licitum est stando in iure diuino solum & naturali occidere hominem nociuum Reipublicæ, quia hoc est membrum communitatis: Et ideo sicut licitum est abscindere membrum corruptum &

nociuum toti corpori, ita est licitum in iure diuino & naturali hominem pernicioſum, & boni communis corruptorem interficere, etiam ſi hoc nunquam ſit expreſſum in iure diuino ſcripto: quia hoc eſt notum in lumine naturali, quòd maius bonum debet præferri minori bono, & priuato bono publicum bonum. Octauo dico, quòd * tale homicidium ſolum de iure naturali & diuino eſt commiſſum Reipub. aut publicis magiſtratibus, & principatibus, qui habent curam Reipublicæ, ut patet ex Paul. ad Roman. 13. Non ſine cauſa gladium portat, uindex enim eſt. Nono dico, quòd * ex intentione occidere hominem ſemper eſt prohibitum homini priuato. nunquam enim licet niſi in caſu permiſſo. Non autem eſt commiſſa cura publici boni defendendi, niſi publicis perſonis. ergo nulli priuato ſua authoritate licet ex intentione occidere. Vltimo dico, quòd * omne aliud homicidium ex intentione, eſt illo præcepto prohibitum, ſeu publicæ, ſeu priuatæ perſonæ, præterquam in caſu præmiſſo, quando uita alicuius propter peccatum eius eſt pernicioſa Reipublicæ. Nam de homicidio non ex intentione, quale eſt in defenſione ſui, aut Reipub. latior eſt diſputatio: quòd licet etiam ex iure naturali cognoſci poſſet, tamen quia non eſt præſentis ſpeculationis, miſſum facio. Ex his patet quam uim

Rom. 13.

habet

habet argumentum ex illo præcepto, quòd non licet interficere seipsum. Cùm * enim nemo sit iudex suiipsius, neq; habeat authoritatem in seipsum, nunquam licebit se interficere, etiam si dignus morte esset, & perniciosus Reipub. Tertio arguitur, & probatur conclusio, Se occidens, facit nocumentum Reipublicæ. ergo peccat. Consequentia est clara. Antecedens patet, Quia quicquid homo est, est ipsius Reipublicæ sicut pars sui est totius. ergo qui se occidit, aufert à republ. quod suum est. Quarto & ultimo probatur, Quia occidens se, facit contra præceptum de charitate. ergo peccat. Consequentia est nota, & antecedens probatur, quia non minus homo tenetur se diligere, quàm proximum sicut seipsum: sed si occideret proximum, semper esset contra charitatem proximi. ergo se occidens, facit contra charitatem sui. Ista duo argumenta, nō carent difficultatibus, & dubiis, possentque examinari sicut præcedentia. Sed quia impugnando conclusionem ipsam, commodius ueritas ipsius explicabitur, nec tempus nobis suppeteret, si utrunque uellem prosequi, ideo hoc relicto, contra conclusionem arguitur, & primo sic, Nemo potest se saltem de industria & uolens occidere. ergo cōclusio includit falsum, scilicet inueniri posse tale delictum & crimē. Antecedens probatur,

Quia uoluntas non potest uelle nisi bonum, ut Aristoteles habet, & impręsentiarũ pro rato habemus: sed non esse, aut desinere esse nõ est bonũ, imò potius malum, ergo nullus seipsum potest interficere. Neq; sufficit dicere, q̃ cùm anima sit immortalis, non desinit esse saltẽ meliori sui parte qui se interficit. Saltem enim argumẽtum p̃cedit de illo, qui nõ haberet spem alterius uitæ, qui non posset seipsum interficere, cuius oppositum ex historia constat. Et confirmatur, quia impossibile est quòd aliquis nolit esse beatus, ut diserte August. tenet 17. de Ciuitate Dei. Sed qui uult esse, uult esse beatus, cùm non possit esse beatus si non sit, ergo non potest aliquis nolle esse, & per consequens se interficere. Secundo arguitur, Nulli facit nocumentum. ergo non peccat se interficiendo. Antecedens patet, quia non sibi, quia uolenti non fit iniuria, ipse autem uolens patitur, ergo non patitur iniuriam. Nec sufficit dicere, quòd facit iniuriam reipublicæ, quia saltem qui bona uenia reipublicæ, uel adepti licentiam à republica (sicut mos apud aliquas nationes fuit) se interficerent, non peccarent. Et confirmatur, quia qui bona temporalia uolens perderet, neque sibi, neque reipublicæ iniuriam faceret, ut si quis equum suum occideret, & tamen non minus res temporales sunt reipublicæ, quàm hominis

nis uita, imò multo plus. ergo nec se interficiens facit iniuriam reipublicæ aut sibi. Item licet non se defendere à latrone inuadente, quando non potest uitam tueri nisi alterum occidat, ergo licet se interficere. Consequentia probatur, Eodē præcepto tenetur quis defendere propriam uitam, quo tenetur se non occidere, & si se posset defendere, & non se defenderet, esset contra præceptum de non se occidendo. Quarto, licet duobus existentibus in extrema necessitate, & habentibus solum unicum panem, unde alter posset tantum uitam conseruare, licet inquam alteri habenti panem cedere alteri, & hoc est se interficere. ergo. Quinto, si seruus esset cum rege in naufragio, & essent in tabula, uel nauicula, quæ utrunq; non posset sustinere, licet seruo desilire in mare sine spe euadendi, ut regem seruet à morte. ergo licitum est in casu se interficere. Sexto, licitum est damnato ad mortem, ut fame conficiatur, oblato pane non comedere, ergo licitum est se interficere. Antecedens patet, quia licitum est, & potest parere sententiæ, cui adiudicatum est. Septimo, licet damnato ad mortem habita etiam opportunitate fugiendi, non fugere, sed expectare, & sic dat operam morti propriæ. ergo. Octauo, licet damnato ad mortem uenēni hausti haurire uenenum. ergo licet se interficere. Nono,

licet cum manifesto periculo mortis tempore pestis uisitare amicos. ergo. Decimo, Licet nauigare cum manifesto periculo mortis. ergo. Vndecimo, Licita sunt exercitia militaria, ut equilia, taurorum exagitatio, etiam cum periculo mortis. ergo seipsum interficere. Probatur consequentia in omnibus his tribus argumentis, quia eodem præcepto generaliter prohibetur interficere alium, & exponere se periculo occidendi. ergo etiam de seipso. Duodecimo, Licet uitam breuiorem facere abstinentiis, & duro uictu, & aliis uitæ austerioris rigoribus. ergo se interficere. Consequentia probatur ex dicto Hieronymi, Nihil interest paruo an magno tempore te interimas. Et antecedens probatur, & patet de monasteriis, ubi certum est uitam esse breuiorem quàm extra. Decimotertio, Non tenetur aliquis constitutus in extremo periculo redimere salutem quacunque pecunia, uel toto patrimonio. ergo non tenetur conseruare uitam suam. Antecedens patet, Si enim quis indigeret ad salutem herba aliqua, ut (exempli gratia) radice pontica, quam non posset habere, nisi daret suum regnum, aut principatum, non teneretur dare. ergo. Decimoquarto, Semper est licitum subire minus malum, ad euitandum maius malum: sed maius malum uidetur fama, & ignominia, quàm mors:

ergo

ergo saltem ad uitandum ignominiam, & infamiam licitum erit subire mortem, & se interficere. Decimoquinto, Saltem hoc, scilicet non licitum esse se occidere, non est ita per se notum, quin possit ignorari, cum apud multos, qui reputati sunt sapientes, fuerit laudatum. ergo saltem excusabuntur illi, qui putant se fortiter & laudabiliter agere, se interficiendo, ut Cato, Brutus, & similes. Decimosexto, Legitur de quibusdam sanctis fœminis, quòd cum essent à Tyranno damnatæ ut igne comburerentur, ipsæ se in eum præcipitauerunt. ergo licet se interficere. Decimoseptimo, Samson, Saül, Rasias, Eleazarus, se interfecerunt in libris Machabæorum, qui non solum non uituperantur in Scriptura, sed certè Samson inter sanctos refertur ab Apostolo ad Hebræ. & Eleazarus laudatur. Et idem argumentum potest fieri de uirginibus, cum fugientes Romanorum iniuriam, apud Aquileiam se in flumen præcipitauerunt.

¶Pro solutione istorum argumentorum multa & uaria possent adduci, quæ si tempus ferret, non essent inutilia uel iniucunda tractatu, sed pro temporis breuitate solutionẽ illorum inquantum potero, pauciſsima uerba conferam. Pro elucidatione ergo primi argumenti est aduertendum, quòd * obiectum uoluntatis non est solum uerum bonum. Cùm enim

obiectum non moueat uoluntatem nisi mediante cognitione, nihil refert ad mouendum uoluntatem an sit uerum bonum, aut æstimetur uerum bonum. Itaque cùm interficere seipsum, aut prorsus non esse, possit æstimari bonum, ex hac parte non impeditur, quin possit aliquis sciens, & uolens seipsum interficere, cùm possit errare, & æstimare sibi bonum esse. Sed quoniam ista solutio solummodo ostendit aliquem ex errore posse uelle non esse, & per consequens se interficere, dico secundo, quòd nõ inconuenit aliquem sine errore quocunque uelle non esse. Pro quo aduertendum, quòd sicut non inconuenit aliquid esse secundum se bonum, & tamen ex aliqua circunstantia fieri malum, ita econtrario aliquid, quod absolutè est malum, potest ex aliquo adiuncto fieri bonum. Atque in proposito non esse, licet absolutè sit malum, tamen tanquam medium ad uitandas miserias non solum potest æstimari bonum, sed re uera esse bonum. Et quamuis esse secundum se sit bonum, tamen coniunctum cum aliquo malo, potest non solum æstimari, sed fieri re uera malum. Vnde dico, quòd damnati sine quocunque errore cupiunt non esse. Quanquam enim esse absolutè esset eis bonum, tamen tale esse, scilicet cum summa miseria, re uera est eis malum, & melius esset eis non esse, quàm sic

esse,

esse. Quod Dominus in Euangelio satis apertè ostendit dictum de Iuda traditore, Bonum erat ei, si natus non fuisset homo iste. Luc. 23. Luc. 23.
Quamuis enim aliqui ita hunc locum intelligunt, ut melius quidem fuisset Iudæ non nasci, non tamen melius non concipi, aut non esse. Tamen non puto Christum habuisse respectum ad differentiam illam inter natum esse, & conceptum esse, & prorsus esse, sed absolutè protulit, melius futurũ illi omnino non esse, quàm ita perditum esse. Vnde Ecclesiastici 30. Melius est mors, quàm uita Eccles. 30.
amara. Quare damnati non errantes, sed rectè intelligentes, cupiunt non esse. Et hoc plusquam satis ad primum argumentum. Sed instabat in confirmatione, quòd omnis homo necessario appetit beatitudinem, quam nõ potest habere si non sit: & per consequens uidetur quòd necessariò uellet esse, neque posset uelle non esse. Ad hoc argumentum quamuis multifariam posit respõderi, tamen pro nunc dico, quòd nullus potest uelle absolute quod scit se nunquam adepturum, & per consequens nec medium eligere, ad consequendum illud, quod consequi non sperat. Quare cùm damnati firmiter credant se nunquam futuros felices, fit ut nec etiam esse uelint, quod tamen necessarium est ad felicitatem: & eo ipso quòd damnati cupiunt felices

esse, cupiunt miserias uitare, quas fugere non possunt, ac per consequens uellent non esse. Pro secundo argumento, eiusque confirmatione est notandum, quòd differentia est inter alias res corporales, & inter uitam hominis. Est enim homo ita uerus dominus, ut possit pro suo arbitrio uti omnibus illis. Omnia enim Dominus subiecit pedibus eius: quare non tenetur homo ad conseruationem rerum temporalium, sed potest pro sua uoluntate, uel tenere, uel dimittere. Vnde occidens proprium equum, aut comburens propriã domum, nulli facit iniuriam: non est autem ita dominus, aut corporis, aut uitæ propriæ. Est enim solus Deus dominus uitæ & mortis, & quantum ad hoc homo peculiariter est seruus Dei: unde occidens seipsum, occidit alicui seruum, & facit iniuriam Deo, à quo tantum dono utendum accepit, non perdendum. Et sicut non est immunis ab iniuria qui alium interficit, etiam alio petente, quia scilicet ille non est ita dominus uitæ suæ, ut possit facultatem cuiquam dare sibi uitam eripiendi: ita & qui seipsum interficit, iniuriæ reus est. Vt enim apud Ciceronem Pythagoras ait, Prohibetur mortales fine iussu imperatoris uel dominide præsidio & statione uitæ discedere. Pro tertio argumento, Quamuis nonnulli in illa sint opinione, ut putent hominem teneri ad tuendam

uitam

uitam, quandocunq; licitè poteſt: tamen dico, quòd *non ſolum in iſto, ſed in multis aliis caſibus homo poſſet licitis mediis uitam ſeruare, & tamen non tenetur. Vnde ſi inuaſus à latrone, aliter non poſſet ſe defendere, quàm latronem interficiendo, non dubito, quin ſit opus conſilii, & perfectionis, permittere ſe occidere potius, quàm latronem in tali ſtatu mittere in perditionem. Quod probatur. Si enim Chriſtianus deprehenſus in ſolitudine à Pagano inuaderetur, eo q; Chriſtianus eſſet, dico quòd poſſet ſe ab illo defendere, etiam licitè, & ſine ſcandalo fidei: tamen nemo dubitaret, quin eſſet opus patientiæ, ferre æquanimiter mortem in teſtimonium fidei. Probatur ſecundo, Chriſtus licitè ſe poterat defendere à Iudæis uel Gentilibus, qui tyrannicè oppreſſerunt illum. ergo non quicunque licitè poteſt ſaluare uitam ſuam, tenetur. Item decem millia martyrũ, qui pro Chriſto mortui ſunt, non uidetur quòd non potuiſſent ſe defendere licitè, & pugnare aduerſus tyrannos, ſicut & nunc Chriſtiani ſe tuentur contra Paganos. Vnde non dubito, quin plerunq; martyrium ſit ſub cõſilio, & quòd multi martyres ſe ultro martyrio obtulerunt, cùm ad hoc non obligarentur: quod ſatis conſonum uidetur conſilio Apoſtoli ad Rom. 12. Non uos defendentes chariſsimi, ſed date locum

iræ.

Matth.5. iræ. Et Dominus in Euangelio Matth.5. Ego autem dico uobis, non resistere malo. Imò iste uidetur error Iudæorũ, quem Dominus apud Matth.5. elidit, quòd putabant non esse laudabile, si quis iniurias patienter toleraret. Pro quo est considerandum, quòd licet (ut dictum est) homo non sit dominus sui corporis, aut uitæ suæ, sicut aliarum rerum, tamen aliquid dominii & iuris habet in uita sua, ratione cuius qui nocet in corpore, nõ solum facit Deo, qui est supremus dominus uitæ, sed etiam ipsi homini priuato iniuriam. Hoc ergo ius, quod homo habet in proprium corpus, potest homo laudabiliter dimittere, & perdere, quamuis habeat ius se defendendi, & sic patienter ferre mortem. Contra hanc tamen solutionem potest instari, quòd quilibet tenetur defendere uitam innocentis, si quis per uiolentiam uelit eum interficere. Vnicuiq; enim Deus mandauit de proximo suo. Et prouerb.24. Erue eos, qui ducuntur ad mortem, & eos, qui trahuntur ad interitum, liberare non cesses. Vnde si quis posset innocentem eripere de manu inuasoris, & non faceret, esset reus homicidii. Ex hoc sic arguitur, plus tenetur homo seruare propriam uitam quàm uitam proximi: si ergo tenetur homo defendere uitam proximi ab iniusto inuasore, ergo etiam propriam uitam. Ad hoc primo dico, quòd nõ est exploratum,

Prouer.24.

quòd

quòd * semper homo teneatur defendere uitam proximi, etiam quãdocunq; licet. Si enim Christianus se ultrò offerret tyranno, ad augmentum fidei, etiam extra tempus necessitatis, quãdo scilicet est opus consilii, dato, quòd Christiani possent illum eripere de manu tyrãni, & licet sine scandalo, credo quòd nõ tenerentur, & sic nõ est uniuersaliter uerũ, quòd quilibet tenetur defendere uitam innocentis, etiam cum licitè potest, ut patet de Petro Apostolo quem Dominus repræhendit, quia uolebat eum eripere de manibus Iudæorũ. Secundo dico negando consequentiam. Neq; sequitur, quòd si teneor defendere uitam proximi, quòd tenear defendere meã. possum enim, ut dictum est, cedere iuri meo, non autẽ iuri fratris mei. Exemplum est clarum. Certũ est enim quòd non teneor defendere bona temporalia mea, iuxta id, si quis petierit à te tunicam, da ei & pallium. Et tamen si possem sine periculo meo defendere bona innocentis à raptore, & latrone, certum est quòd teneor. Simili ergo modo quamuis possum non defendere uitam meam, non possum non defendere uitam proximi. Pro quarto argumento licet multi uertant in dubiũ, an liceat pro priuata persona ponere uitam, & plures partem negatiuam defendunt, tamen ut aliâs à me disputatum est, puto probabilius hoc esse & laudabile, & uidetur laudatum

datum à Domino in illo loco, Maiorem dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis &c. ubi non distinguit de priuata persona, aut publica. & Ioan. In hoc cognouimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere. Neq; uidetur solum loqui pro spirituali bono proximorum. Statim enim subditur, Qui habet substantiam huiusmodi, & uidet fratrẽ suum necessitatem habere, &c. Cantic. 8. Fortis est ut mors dilectio, quia scilicet facit ꝑ amico mori. Ad Eph. 5. Viri diligite uxores uestras, sicut Christus dilexit ecclesiam, & semetipsum tradidit pro ea. & j. Ita uiri debent diligere uxores suas, sicut corpora sua. Et item, Vnusquisq; uxorẽ suam diligat sicut seipsum. & Arist. 9. Ethic. Omnino debet maximam honestatem esse, mortem etiam appetere pro amicis: & filium patrem potius, quàm se redimere oportet, & honestius esse, parentibus alimentis opitulari, quàm sibi ipsis: quòd si in extrema necessitate habet panem uitę necessarium patri relinquere, non est dubium, quin etiam liceat amico dare. Quare

Cantic. 8. *Ephes. 5.* *Aristotel. 9. Ethico.*

26 * omnino concedo in casu proposito in argumento, quòd licet panẽ alteri cedere cum certa pernicie propriæ uitæ. Sed contra hoc uehementer urget. Sit enim casus, quòd sint in extrema necessitate filius cũ patre, & alio extraneo

neo,& filius habeat unicum panem. Sic arguitur, Sequitur,quòd filius potest dare panẽ extraneo, relicto patre. Consequens autem est contra ordinẽ charitatis.ergo non sufficienter respondetur ad argumentum. Consequentia probatur, quia postquam filius habet ius seruandi sibi soli panem,si potest iuri suo cedere, ergo relinquere extraneo, & nullam iniuriam facit patri,cùm pater nihil iuris habeat in pane illo.Ad hoc nego consequentiam.Quanquam enim filius possit sibi panem retinere, & potest cedere iuri suo,nõ tamẽ cui uult,sed tenetur ex ordine charitatis subuenire potius patri, quàm extraneo: & eo quòd panis est in potestate filii, pater habet maius ius ad panẽ, quàm extraneus. Et per hoc patet ad quintum argumentum.Credo enim quòd in illo casu seruus possit relinquere nauiculam,aut tabulam, certus mori,& non solum pro rege hoc esset laudabile, sed pro quocunque etiam amico, aut proximo, quod Lactantius libro 5.de iustitia, cap.18.disertè cõmendat. Quid (inquit) iustus faciet,si nactus fuerit aut in equo saucium, aut in tabula naufragum? non inuitus, confiteor, morietur potius,quàm occidet. At stultitia est, inquiunt, alienæ animæ parcere cum pernicie suæ,nunc etiam pro amicitia perire stultum iudicabitur. Et reliqua, quæ in hunc locum eloquentissimè congerit. Est sine * dubio pro

Lactantius.

amicis

amicis animam ponere ſtultitia huius mundi, quæ tamen ſapientia eſt apud deum. Pro ſexto
28 argumento dico, * quòd talis tenetur comedere. & ſanct. Tho. 2. 2. q. 69. art. 4. ad 2. dicit, Quòd ſi non comederet, ſe interficeret. quod probatur, quia tenetur uti ad conſeruandã uitã omnibus mediis à iudice nõ prohibitis: iudex autem nõ prohibuit, imo neq; potuit quidem prohibere, ne oblato pane nõ ederet: non enim damnauit eum ut mortem ſibi daret, ſed ſolùm ut pateretur: ut patet, quia comedens non facit cõtra ſententiã iudicis. ergo nõ eſt pœna inflicta à iudice, ut ipſe ſe ab eſu abſtineat. Itaq; ſi licet ei comedere in caſu poſito, quod ꝓ cõfeſſo uideo inter oẽs conſtare, omnino uidet ꝙ tenetur. Pro ſeptimo argumẽto ſimiliter dico ſicut
29 ad ſextũ, ꝙ * talis tenet fugere, quia nõ eſt pars pœnę inflictæ à iudice, ut maneat in carcere. ad minus dico, ꝙ idem eſt iudiciũ de eo, qui eſt in carcere, & de eo qui eſt in ſua libertate, & ſi latro peccat, ultro ſe offerendo iudici & carceri, etiã peccat, ſi liberè poteſt fugere, & nõ fugit.
30 Pro octauo, certè * non uideo quare id ſit negandum licere. etenim ſicut ſunt alia ſupplicia decreta cõtra nocentes, quare non poſſet id inſtitui ut ueneno tolleretur, quòd ſic illud ſupplicium poteſt eſſe iuſtum, cùm aliter illa pœna irrogari non poteſt, niſi ut ille uenenum epotet, nihil uidetur cur non liceat ei

haurire

haurire uenenum. Sicut licet damnato ad supplicium ascẽdere scalas, & ei qui damnatus est gladio, parare iugulum. neque enim unus magis cooperatur morti suæ, quàm alius. ergo si dicatur non posse tale supplicium constitui, consequenter dicendum est non esse licitum uenenum sumere damnato à tyranno, sicut ne que se iugulare, aut gladio incumbere: hoc autem est probabiliter dictũ. Non tenetur enim sibi aliquis pœnam inferre, sed solùm ferre: unde nõ uidetur posse constitui pœna, ad quam necessarium sit ipsum nocentem cooperari. Mihi tamen primum magis placet quàm hoc, neque ualet, ergo posset dãnari ut seipsum iugulet, hoc enim potest fieri per alium, quod nõ est de haustu ueneni, sed de hoc disputari potest. Ad nonum patet ex solutione ad quartum & quintum, Vbi* enim amicus meus indigeret auxilio meo, uel obsequio in ægritudine uel consilio meo in conscientia, non dubito quin possem consulere illi, cum quantocunque periculo meo; quòd si nihil essem profuturus, profectò non uidetur carere temeritate exponere me periculo graui sine ullo fructu: quanquam hoc ipsum scilicet amicitiam, & fidem in amicis seruare magnus fructus est. nec uellem uxorem damnare, quæ etiam cum magno periculo marito peste laboranti assideret, etiam si hoc officiũ nõ esset illi ullo pacto

profuturũ, sed ut pereũti amico officiũ & cõsolationẽ prestaret. Ad decimũ & undecimũ est
32 aduertendũ, q̃ ad cognoscendũ quid in hoc casu liceat, nõ oportet solùm habere respectũ ad circunstantias pro tẽpore occurrentes, sed quę magis, & quod ut in plurimum contingat: neque respectus habẽdus magis est ad bonum uel malum priuatum, quàm ad bonum uel malum publicum & commune, nauigatio etiam pro tempore periculoso est utilis bono cõmuni. Ex communicatione enim nationũ & prouinciarũ respub. magna commoda accipiũt & in pace & in bello. Quare si propter periculum tempestatum homines deterrerẽtur à nauigatione, fieret magna iactura publici boni, cùm aut uix, aut nunquã, nauigari sine magno periculo possit. & eodem modo de exercitiis militaribus dicẽdũ: omnino enim est necessarium reipub. milites habere ad defendendũ patriam, qui sine militari exercitio inutiles bello essent. Sunt autẽ quidem exercitia militaria parũ periculosa, ut sunt equestria, & alia multa, quæ sufficiunt ad exercẽdos milites, & ideo aliis multùm periculosis uti illicitũ esset: uerum si nõ possent milites exerceri sine etiã magno & graui periculo, non ideo ommittenda essent bellica exercitia. Minus enim malum temporale tolerandũ esset ad euitãdũ maius, ne scilicet patria perdatur, & tyrãni occupent

illam

illam, aut in bello uictores hostes multo plures cædant, quia non sunt exercitati milites, quàm si omnia exercitia assumere potuissent. Ad duodecimum argumentum dico, quòd *nullo modo licet abbreuiare uitã, sed est considerandũ, quòd (sicut in materia de abstinentia late disserui) aliud est uitam minuere, aut non proferre. Secundò est aduertẽdum, quòd homo, licet teneatur nõ abrumpere uitã, non tamen tenetur omnia media etiã licita facere, ut longiorem uitã faciat. Quod manifeste patet, dato, quòd aliquis certò sciat, quòd in India est salubrior & clemẽtior aura, & quòd ibi diutiùs uiueret quàm in patria, non tenetur nauigare in Indiam, imò nec de una ciuitate ad aliam salubriorem. Nec enim Deus uoluit nos tam solicitos de longa uita. Similiter dico de alimentis, quòd quædã sunt, quæ non sunt propriè alimenta, quia de se sunt insalubria, & nociua humanæ ualetudini, & istis uti esset interficere se, nec solùm intelligo de uenenis, sed etiam de aliis insalubribus cibis, ut si quis uelit uictitare ex fungis, aut crudis herbis, & acerbis, aut aliis similibus. Alia sunt alimenta, quæ licet non sint ita salubria sicut alia, non tamen sunt contraria uitæ humanæ, ut pisces, oua, potus aquæ. Itẽ dico, quòd oportet respicere ad id, quod cõmuniter accidit. Est autem commune, ut plures in iuuentute reperiantur

ex lautis, quàm ex pœnitentibus, plures enim interficit gula, quàm gladius. Istis præmissis
34 dico ad argumentum, quòd* non est licitũ uitam breuiorem, reddere alimẽtis insalubribus & nociuis. Secũdò, quòd non tenetur homo uti alimentis optimis, nõ nociuis ut piscibus. Neque enim si medicus consuluit, quòd si bibãt uinum, uiuẽt diutiùs decẽ annis, quàm cũ aqua, ideo non licebit abstinere à uino: potus enim aquæ nõ est contrarius uitæ, neque hoc est uitã minuere, sed non producere, ad quod non tenetur quisquam. Hoc dico de sanis & bene habentibus. ægrotantibus enim aliqui sunt insalubres, & nociui, qui sanis sunt salubres. Vnde ægrotis non esset licitum huiusmodi alimentis uti: sed de hoc uide in materia de abstinẽtia latiùs. Et idem est de mediis, & aliis pœnitẽtiæ exercitiis iudicium. Per hoc etiam
35 patet ad decimumtertium. Non* tenetur quis, ut dixi, omnia media ponere ad seruandum uitam, sed satis est ponere media ad hoc de se ordinata, & cõgruentia. Vnde in casu posito credo, q̃ non tenetur dare totum patrimonium pro uita seruanda. & reputatur non habere remedium, & alius qui negat remedium, est homicida. Ex quo etiã infertur, q̃ cùm aliquis sine spe uitę ægrotat, dato quòd aliquo pharmaco pretioso posset producere uitã aliquot horas, aut etiam dies, nõ tenetur illud emere, sed

satis

satis erit uti remediis communibus,& ille reputatur quasi mortuus. Ad decimumquartum dico,quòd uita* est maius bonum,quàm bona temporalia, inter quæ gloria, honor,& fama reponuntur. Cuncta enim quæ habet homo,pro anima sua dabit: omnia enim illa ordinantur ad uitam humanam sicut ad finem. Vnde Salomon dicit,Curam habe de bono nomine: hoc enim permanebit tibi magis, quàm mille thesauri. Nó comparat bonum nomen ad uitam,sed ad thesauros.& alibi,Melius est nomen bonum, quàm diuitiæ multę.& Eccle. 30. Non est census super salutem corporis. Dico ergo,quòd non licet ponere uitam pro fama aut gloria. Vnde non solùm qui se interficiunt,sed qui sine alio titulo ponunt uitam in magno periculo propter gloriam humanam, grauiter delinquũt. Et Arist. 3. Ethico. ait, Vltimũ malorũ mors. Pro his omnibus quatuordecim argumentis est considerãdum, quòd in eis omnibus non est tractatum, an aliquis ex intentione,& uolẽs, possit se occidere, sed solùm præter intentionem. ut patet in omnibus illis,& ideo nihil possunt probare contra intentionẽ conclusionis propositæ. Vnde solùm concedimus, quòd nõ possit se interficere ex intẽtione ut se interficiat. Vnde siue id, quod in argumentis propositum fuit, sit licitum, siue non, nihil procedunt contra cõclusionem, non *Eccles. 30.*

non enim id est se interficere, ut in proposito accipimus, sed solũ mors imperata, ex tali actu uolo me occidere. & ideo grauius argumẽtum
37 est decimumquintum, Vtrum *Brutus, Cato, Decius, & alii innumeri, qui se occiderunt, nõ poterant ignorare inculpabiliter talẽ mortem esse illicitam, cùm ipsi omnino crederent esse optimam, & honestissimã, & à uiris, qui pro sapientibus habiti sunt, laudantur. Respondetur, Nõ uidetur maius dubium, quàm de aliis diuinis præceptis. Multa enim sunt præcepta diuina, quæ apud paganos fuerunt, & hodie sunt ignorata, ut de fornicatione, de uindicatione iniuriæ, in quibus tamen non damus ignorãtiam inuincibilẽ, sed dicimus cum beato Paul. ad Rom. 1. quòd in pœnã perfidiæ suæ tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant ea quæ non conueniunt, repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, homicidiis, &c. & sic q̃ excusantur, est sapiẽtia huius mũdi, quæ est stultitia apud Deum. Quòd autem in lumine naturali cognosci possit, illicitũ esse seipsum interficere, patet, quòd philosophi studiosi uirtutis, id docuerunt, ut patet ex Aristo. 3. Ethico. dicente, quòd est nõ magnanimi mortẽ sibi conscisscere, sed pusillanimi, & non potẽtis ferre uitæ labores. & Cicero, mortem (inquit) cur mihi conscisscerẽ, cùm causam nullam habeam? cur optarẽ mulctas? quãquã hoc

ipsum

ipsum sapienter, sapientis enim est neque optare mortẽ, neque timere. Ad ultimũ de Samsone, Rasia, Saüle, &c. non similiter de omnibus dicẽdũ uidetur. Samsonem enim necessarium est excusare, quem Paulus retulit inter iustos. Vnde Augu. dicit Samsonem hac ratione excusari, quia spiritu Dei motus fecit, nec hoc est diuinare, sed habetur expresse ex historia Iudicum, ubi dicitur orasse Dominũ, ut redderet ei pristinam fortitudinẽ, ut ulciscereturse de inimicis suis: quamuis posset & alia solutio dari. Non enim interfecit se ex intẽtione, sed uoluit hostes opprimere, & interficere, ad quod secuta est mors ipsius. ipse enim bene optasset alios perdere se saluo, si fieri potuisset: hoc autem sine noua reuelatione habetur licitũ. Quis enim dubitat, quin aliquis in prælio, uel defendẽdo ciuitatem, posset certus de morte facinus aggredi, quod sit quidẽ patriæ saluti, hostibus autẽ magnum detrimentũ futurũ? ut de Eleazaro legitur 1. Mach. 6. qui ingressus sub uẽtre elephantis, cui regem Antiochũ residere credebat, elephantẽ quidem gladio cõfodit, ipse uerò bestiæ ruina oppressus, præclaram mortẽ inuenit, quia se libẽter (ut dicit scriptura) pro populo suo posuit. quod factũ adeò nõ uituperatur, ut Ambro. libro de officiis, c. de fortitudine, Eleazarũ mirificis efferat laudibus. Atque ita uidetur posse excusari Samson

sine recursu ad instinctum cælestem. Eodem modo Eleazarus se interfecit, sicut Samson. De Saüle uerò nõ est idem iudiciũ: cùm enim dimissus esset, imò repulsus à gratia Dei, non est necesse quærere excusationes. Sabellicus scribit Saülem nõ se interfeciſſe, sed cogitasse quidẽ de morte sibi conscisscenda: uerùm quia uisum est impium uitam uiolenter abrumpere, ab Amalecita quodam ignorante quis esset, interfectum. Sed est turpis lapsus Christiani historici, cũ primi Regum ultimo legatur Saülem incubuisse super gladium suũ, & sic uitam finiisse. Rasias uerò probabilius posset excusari, quamuis S. Tho. secunda secundæ, q. 64. articu. 5. non excuset illum. super qua re est contentio inter Nicolaum & Burgẽsem, quos uidere poteris ad longum. Et ista quantum ad præsentem relectionem sufficiant.

* * *

REVERENDI PATRIS FRATRIS FRANCISCI A VIctoria Relectio de Simonia.

Locus relegendus est Matth. 10.

Gratis accepistis, gratis date.

SVMMA.

1 An licitum sit dare aliquid temporale pro spirituali.
2 Simoniæ definitio. Et quid sit. Et unde sit dicta simonia.
3 Simoniæ obiectum circa quod uersetur.
4 Spirituale quid dicatur in materia simoniatica.
5 Simonia, quòd non committatur nec circa scientiam, aut doctrinam, nec circa aliud spirituale à spiritu creato.
6 Spirituale, quòd in hoc proposito uocetur donum Spiritus sancti.
7 Simoniæ in definitione, quid per emptionem, & uenditionem intelligitur.
8 Emptio, & uenditio rerum spiritualium quòd non solùm sit simoniaca, sed omnino dispensatio, & permutatio non gratuita.
9 Simonia, quòd sit illicita.
10 Simonia, quòd sit diuino iure prohibita.
11 Simonia, quòd sit iure naturali prohibita.
12 Simonia omnis an sit iure diuino prohibita, & an aliqua sit solùm iure positiuo.
13 Contractus aliquis, qui non nunc est simoniacus, an sit uel possit uire positiuo fieri simoniacus.
14 Spiritualia, quòd sint aliqua iure positiuo. Et quæ sint.

15 Emptio, aut uenditio eorum, quæ iure positiuo sunt spiritualia, quòd sit iure diuino prohibita.

16 Simonia aliqua, quòd sit omnino præcise de iure positiuo.

17 Simonia an sit aliqua circa ea quæ sunt uerè spiritualia, & secundum se & de iure positiuo. Et quomodo contractus aliquis, uel permutatio spiritualis secundum se de iure positiuo sit simoniaca.

18 Simoniæ peccatum, quòd in lege scripta & potuit esse, & fuit.

19 Simoniæ peccatum quòd in lege naturæ & potuerit esse, aut fuerit.

20 Simoniæ crimen, an inter paganos, & idololatras esse potuerit.

21 Emptio, aut uenditio, quòd non solùm ex intentione apud idololatras fuerit crimen simoniæ uerũ, sed etiã ex obiecto.

22 Simoniacus an sit is, qui timore, consanguinitate, precibus, & fauore, aut obsequio administrat spiritualia.

23 Simoniacũ quòd non sit conferre spirituale sine respectu ad cõmodum, uel incõmodũ, timore indignationis.

24 Spirituale dare ex timore alicui digno, quòd uideatur non esse malum.

25 Spirituale dare digno ex timore mali temporalis, ut uitæ, aut exilij, aut carceris, dummodo hoc nõ redundet in aliquod commodum temporale, uel sit ex pacto, aut aliquo modo per modum pretij, quòd non uideatur esse malum.

26 Collatio spiritualis ratione consanguinitatis an sit simonia.

27 Conferre beneficium intuitu consanguinitatis, quòd non sit simoniacum.

Benefi

28 Beneficium si quis conferat cōsanguineo, aliàs idoneo, quantumcunque motus à consanguinitate, quòd non peccet mortaliter.

29 Pontifices parati ad dandum beneficia consanguineis sine deliberatione, quòd peccent mortaliter.

30 Beneficia conferre propter preces principaliter, an sit simonia.

31 Conferre spiritualia ad captandum quodcunque cōmodum non spirituale, siue digno, siue indigno, quòd sit illicitum.

32 Conferre spiritualia ad captandum quodcunque commodum non spirituale, quomodo ignorat author an hoc sit mortale, si aliàs collatio fiat digno.

33 Conferre spiritualia ad captandum quodcunque commodum non spirituale, quomodo si fiat digno, non putat hoc peccatum esse propriè simoniam, author.

34 Simonia, quomodo esset, si fauor, uel preces, uel laus resoluerentur tanquam pretium in aliquod temporale.

35 Simonia, quomodo fortè esset, si preces, fauor, uel laus, & amicitia deducerentur in pactum.

36 Simoniacum quòd sit, conferre officium ecclesiasticum pro obsequio, quum tale obsequium est pecunia æstimabile, ita quòd tandem resoluitur in commodum temporale. Et quid si non adsit pactum expressum, uel tacitum.

37 Præstare obsequium pontifici, ut illa ratione posset consequi beneficium, an, & quando esset simoniacum.

38 Simoniacus an possit esse summus Pontifex.

39 Papa, quòd in simonia, quæ est iuris diuini, æquè, uel grauius possit esse simoniacus, sicut alius homo.

40 Simoniacum utrum sit sperare beneficium spirituale ex officio

ex officio temporali.

41 Spiritualia promittere, an sit simoniæ.

42 Simonia, quòd in beneficijs uniuersaliter sit de iure positiuo, & quomodo Papa possit ea uendere sine rationabili causa, & sine uitio simoniæ, uel ex rationabili causa, & sine peccato.

43 Vendere Canonicatum simplicem, quòd nõ minus sit simonia, quàm uendere beneficium cum cura animarum.

44 Papa, quòd non possit uendere sine uitio simoniæ ex quacunque causa quodcunque beneficium ecclesiasticum.

45 Præbendæ omnes militares, quas commendas uocant, quòd authoritate Papæ possint uendi pro temporali sine uitio simoniæ.

46 Commendæ, quòd pro beneficio commutari non possint, etiam ex authoritate Papæ.

47 Simonia an contingat circa pensiones.

48 Pensio, quæ assignatur alicui super beneficium alterius ratione alicuius ministerij spiritualis, quòd licita est, & honesta.

49 Beneficium habens, cui per aliquod tempus ministrauit, quòd licitè possit authoritate Papæ concedere beneficio, retenta certa pensione super beneficium, & sine quocunque onerali officio spirituali.

50 Papa, quòd nò possit dare alicui pensionem aliquam super beneficio ecclesiastico, qui nullum ministerium neque temporale, neque spirituale conferat in ecclesia, uel alio pio titulo.

51 Papa quòd det clerico pensionem aliquam in alieno beneficio solùm, quia sit clericus, quòd non uideatur irrationabile.

Papa

52 *Papa quomodo si alicui iusto uel iniusto titulo concedat pensionem sine obligatione ad aliquod ministerium spirituale, neque ratione alicuius tituli spiritualis, quòd talis pensio sit merè temporalis. Et quomodo uendere talẽ pensionem aut redimere pretio quolibet temporali non sit simoniacum.*

53 *Beneficium si quis contulit, aut permutauit pro pensione, etiam authoritate apostolica, an talis pensio possit uendi, aut pecunia redimi, dubitatur.*

54 *Pensio quæcunque, quam Papa imponet, uel ex officio suo, uel ad alterius supplicationem, modò non sit causa permutationis, & sine obligatione ad aliquod officium, uel ministerium spirituale, quòd possit uendi & sine simonia redimi. Et an talis pensionarius teneatur ad officium canonicum.*

SVPER hunc locũ ponitur quæstio in præsenti differenda, An licitũ sit dare aliquid tẽporale pro spirituali. Pro parte affirmatiua arguitur, Licet recipere pecuniam pro administratione sacramentorũ, & illa sunt maxime spiritualia. ergo licitum est pro spirituali tẽporale recipere. Antecedẽs patet ex cõsuetudine per totam ecclesiam approbata de recipiendo aliquid pro sacramento missę, pro administratione sacramentorum, pro prædicatiõe, & similibus: ergo. Cõfirmat, quia prophetæ receperũt pecunias pro actu prophetãdi, & tamen actus prophetandi ponitur inter spiritualia, & inter dona Dei: ergo. Maior patet, quia

1.Reg.9. quia ut dicitur 1.Reg.9.Saül dedit pecuniam Samueli,ut indicaret ei asinas patris sui.ubi sic habetur,quòd puer respõdit Sauli,Ecce inuenta est in manu mea 4.pars stateris argenti, demus homini Dei, ut indicet nobis uiam nostram. Idẽ patet 3. Reg. 14 de uxore Ieroboã, quæ attulit munera ad Abiam prophetam, ut
3.Reg.14. indicaret ei quid futurum esset de filio ęgrotãti. Et 4. Regum. legitur, quòd Elisæus uenit Damascũ, & Henadab rex Syriæ ægrotabat. annuntiaueruntque ei dicentes,Venit uir dei huc,& ait rex ad Azael,Tolle tecum munera, & uade in occursum uiri Dei, & cõsule per eũ dominum,dicẽs,Si euadere potero de infirmitate mea hac? fuit igitur Azael habens secum munera, & omnia bona Damasci onera 40. camelorum. Et quamuis non legamus, quòd Elisæus ea non acceperit, non tamen legimus quòd reprehendit,nec scriptura reprehendit.

¶ Secundò, Licet recipere pecuniã pro sepultura,pro dote sacelli,etiã cũ pacto.Ergo. Confirmatur, quia Abrahã emit sepulturã,& habetur Gen.22.Iacob emit ius primogenituræ cui eodem tempore uidetur fuisse annexum sacer-
Genes.25. dotium Genes.25.

¶ Tertiò,Licet præstare obsequiũ cardinalibus & episcopis,nõ alia ratione,sed solùm ea ratione & spe,ut obtineant beneficia.ergo.

¶ Quartò, Licet emere,aut uẽdere calices,& ornamenta.

ornamenta.10.q.2.c.circa.ergo.

¶ Quintò, Licet dare pecuniã pro ingressu religionis, ut patet de monasteriis uirginũ, nec est ad rem, quòd recipiunt ad sustentationem, quia sępe recipiunt plus, & cum pacto.

¶ Sextò, Licet sperare spirituale pro tẽporali, ut patet de seruis episcoporum. ergo.

¶ Septimò, In matrimonio interuenit pecunia, et cum pacto, & est uerum sacramentum. ergo licet etiam dare pro aliis. Proposui tot argumenta, quia ex solutione istorum dependet magna ex parte solutio & explicatio materiæ de simonia.

¶ In cõtrarium sufficit locus propositus Matthæi 10. Quatuor partes habebit relectio. Prima de peccato simonię. secũda de pœna simonię. tertia de restitutione acquisitorũ per simoniã. quarta respõdebit ad argumẽta proposita.

¶ Pro solutiõe quæstionis notãdũ, q; simonia à doctoribus sic definitur. diffinitio simoniæ, Simonia* est studiosa uoluntas emendi aut uẽdendi aliquid spirituale, uel spirituali annexũ. Hæc diffinitio ponitur à S. Tho. & prius ab Altisiodorensi lib. 3. tractatu 21. & ponitur ab Hostiensi & communiter à doctoribus in iure canonico, & sumitur secundum omnes ex c. quicunque studet. 1. q. 2. ut ait frater Martinus in margarita decreti. Panormi. in c. nemo. de simonia, & addit in diffinitiõe, opere subsequuto.

quuto. Et etiam Hostiens. & dicit Panor. notari in definitione in c. insinuasti. 1. q. 1. Sed tamē uide Armacha. lib. 10. c. 12. expresse probantem non opus esse illa particula. Et probat ex facto Simonis, Actuum tertio: & ita dicit, q̄ simonia dicta à facto Simonis, est uelle cōmunicare gratiam & potestatem petitā, siue pro ea habenda offerre pecuniam. Pro cuius declaratione dubitatur, quid in definitione dicatur spirituale. hoc enim ante omnia operę pretiū est ut cognoscamus: quia est obiectum simoniæ. Et ut aliqua certa ratione & uelut quibusdam numeris procedamus distinctiùs, sit prima cōclusio,

3 ¶ Obiectum* circa quod uersatur simonia, est res spiritualis. In qua conclusione omnes con-
Actuum. 8. ueniunt. Et probatur, Actuum 8. dicit Petrus, Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniā donum Dei existimasti pecunia possideri. sed donum dei uocatur aliquid spirituale, & ab eo conatu Simonis uocatur simonia. ergo simonia est circa aliquid spirituale. uide de hac authoritate Armacha. lib. 10. c. 12. uoluit enim emere potestatē, seu facultatē, ut cuicūque manus imponeret, acciperet Spiritū sanctū. Pręterea ratiōe probāt, Quia nihil est tēporale, qđ non uideatur posse cadere licitè sub pretio, sed in hoc consistit simonia, quòd aliquid pretio æstimatur. ergo obiectum simoniæ non po-

test

test esse aliquid tẽporale. Sed hoc ipsum reuocatur in dubiũ, quid *in proposito dicatur spirituale: cum spirituale multifariè dicatur, non sine causa disputatur cuiusmodi spirituale sit materia, uel obiectum simonię. Pro quo est considerandum, quòd ut dicit S. Thom. in 1. senten. d. 10. articu. 4. spiritus priùs dicitur de corporeis reb', quàm de in corporeis. Dicitur enim spiritus ab spirãdo, qđ est halitũ emittere, atque adeò spiritus id uidetur ex primaria significatiẽe, qđ halitus: quod adeò uerũ est, ut grãmatici nostrę ętatis nõ probẽt, aut recipiãt ut uel Deus, uel angeli, uel omnino aliquid in corporeũ, dicãtur Latinè spiritus, aut spiritualiter. quo nomine etiã Baptistæ mantuano Itali negotiũ facessiuerunt, quod in suis pœmatibus in illa significatione frequenter usurpauerat. Sed defendit à uiro eruditissimo Ptolomæo fratre. Et certè præterquam quòd ita illa uoce usi sint uetustissimi Christianorũ nõ minus eruditiõe quàm religione insignes, cuiusmodi fuerũt Cyprianus, Lactantibus, Hieronymus, Ambrosius, Prudentius, Sedulius, & ante eos Tertullianus, à quibus (bona uel mala uenia istorum dexerim) oẽs grãmatici latini tatẽ discere potuerũt: sed præter hoc inquam libẽter ab illis quærerem, qua ratione, aut quibus uerbis illi nouũ testamẽtum, aut totũ etiã uetus ex Septuaginta interpretibus traducere

possent ubi propneuma et propneumatica pro incorporalibus usurpant, ut nunquã aliis uocabulis signẽtur. Dubitãdũ aũt nõ est, quin ipse Cicero si ex Græco traduceret, nõ aliter quàm spiritus, aut spiritualia uerterit. Vnde cùm S. Tho. est notandũ, 1. p. q. 4. arti. 1. ad 2. & in 1. sententen. ubi suprà, quòd licet ita sit, q̃ nomen spiritus primaria impositione impositum fuerit ad significandũ aliquid incorporeum, tamẽ quia spiritus subtile quoddã etiã & inuisibile est, factũ est ut illud nomen deriuatũ esset ad oĩa subtilia, & inuisibilia, ut Deus, angelus, & anima, & omnia quę in eis sunt. Quare cùm tã latè pateat nomen spiritus & spirituale in materia & proposito de simonia, doctores distinguunt, q̃ spirituale uel dicitur à spiritu creato uel increato. nõ enim dicit spirituale propter ordinem ad Spiritũ sanctũ. Gratia uerò spiritualis sic. Burida 2. de anima, q. 22. dicit, q̃ hoc nomẽ spiritus priùs fuit impositũ ad significãdũ res indiuisibiles, sicut Deum & angelos, & postea translatum est ad significandũ corpora subtilia. Est ergo opinio aliquorum, quòd in definitione simoniæ non solùm capiatur spirituale à spiritu creato, sed etiam à spiritu increato. Vnde dicunt quòd emere, aut uendere scientiam naturalem, simoniacum est, cuius sententiæ fuit Altisiodorens. libr. 3. tract. 21. & sequitur eum Sylvest. uerbo simonia. §. 10. unde

dicunt

dicunt, quòd uendere ueritatem non solùm in scientia theologica, sed etiam in aliis scientiis, est simoniacum. Idem habet Alexand. Al. 2.p.q.135.membro tertio: & eadē uidetur sententia glossæ in c.non licet.11.q.3.ubi dicit, q̄ si aduocatus potest ferre patrocinium causæ iustæ sine labore reuoluendi libros, quòd tenetur gratis dare consilium. Et posset suaderi opinio, quia nulla scientia est æstimabilis pretio. Prouerb.13. Quid prodest stulto habere diuitias, cùm sapientiam emere non possit? & Prouer.23 Noli sapientiam uendere, & doctrinam, & intelligentiam. Sed contra istam opinionem sit secunda conclusio, Simonia non committitur nec circa scientiam, aut doctrinam, nec circa aliud spirituale à spiritu creato. Huius opinionis fuit Durand. 4.d.2.q.3. quòd absolutè docere, consulere pro pretio, non est simonia. Idem habet Ricard. 4.d.25.& Palud. ibidē q.5. Adria. quolib.9.articu.1. idem uidetur tenere Armacha. libr.10.c.2. nullam enim uidetur facere mentionem de spirituali alio, nisi pro dono Dei. & c.9. ponit tres rationes, quare dona dei, qui gratis acceperunt, grātis debeant impendere. Verum est, quòd S. Thom. in 4.d.25.q.3. articu.2. q.2.ad tertium dicit, quòd magistris artium licet uendere labores suos, sed nō scientiā, siue ueritatē, quæ spiritualis est. Vnde dicitur Prouer.23. Noli uē

Prouerb.13.

Prouerb.23.

Durand.

Ricard.

Palud.

Adria.

Armacha.

S.Thom.

Prouerb.23.

dere scietiã. Sed in 2.2.q.100. nullã fecit mẽtiõnẽ de hoc. Et sic nõ dubito illũ reliquisse opinionẽ illam autiquorum. Atque adeò pro certo habeo nec simoniam, nec aliud peccatũ cõmitti, si quis quomodocunque componat de pretio doctrinæ, aut scientiæ. Imò S. Tho. 2.2.q.100. artic. 3. ad tertiũ uidetur quòd idem dicat, quod in quartò loco citato. sunt uerba eius, Ille autẽ qui habet scientiã, & nõ susscipit cum hoc officium ex quo obligetur, alii usum scientiæ licitè impendere potest, & pretiũ suæ doctrinę, uel consilii accipere, non quasi ueritatem aut scientiam uendens, sed quasi operas suas locans. Idem uidetur expressè dicere quo libeto 8.q.6.artic.5. & Adria. ubi supra. sed nihilominus probatur conclusio, Quia in scriptura nunquam prohibetur emptio, aut uendi tio rei, eo quòd spiritualis sit, sed quia donum Dei, ut patet Actuũ 8. & Matt. 10. dicitur. Eun tes autem prædicate dicentes, quia appropinquabit regnũ cælorum, infirmos curate, mortuos susscitate, leprosos mũdate, dæmones eiicite, gratis accepistis, gratis date. Prẽterea quia si eodem modo esset prohibitũ uẽdere hęc spiritualia sicut alia, non solùm ueritatem ipsam, sed nec laborem annexum, nec effectum doctrinæ sed nec liceret uẽdere sacerdoti laborẽ circa sacramentum, nec effectũ sacramenti, & tamẽ liceret medico uendere laborẽ docẽdi, &

Matth. 10.

effectum

effectum artis, scilicet curationem infirmi. Preterea, quia si non liceret uẽdere, ergo nec emere. utrũque enim est æqualiter illicitũ: & tamẽ Prouerb. 13. dicitur, Veritatẽ eme. Verũ est etiã q̃ Turre cremata in c. qui studiũ 1. q. 1. tenet, q̃ scientiã uẽdere, est simonia. Et citat Hugonẽ. imò sanitatem uendere. Sed Caiet. in summa titulo de simonia in primo. expressè tenet, quòd non dicitur res spiritualis, nisi à spiritu sancto: licet infrà regula sexta uideatur dicere, quòd nõ licet uendere ueritatẽ scientiarũ. Et idẽ habet 22. q. 110. ar. 2. ad secundum dubium. sed contra, istos omnes sunt rationes factę. Dubium tamen peculiare est de scientia theologica, An liceat uẽdere doctrinam theologicam secundum se. Et quidem Hostien. in cap. quia nonnullis. de magistris dicit, quòd theologus habens præbendam, si aliquid exigat, est simoniacus. & Palud. ubi supra concedens de aliis scientiis, de theologica dicit, quia uidetur quòd accipere aliquid pro theologia, sit simonia. Quod sequitur Syluest. ubi suprà. Concurrentibus tamẽ duobus, primò quòd legatur ex officio magisterii, secũdo, quòd incidat pactũ l. exactio. sed idem puto dicendũ quod de aliis scientiis, si intẽtio solùm feratur ad tradendũ doctrinam, & non per modum consilii spiritualis, quia nõ est donum Dei plusquam philosophica disciplina. Et Duran. & Adria. indi-

Caiet.

Hostien.

ſtinctè loquitur de ſcientia. Præterea, quia cùm temporale eſt annexum ſpirituali, non poteſt uendi temporale ratione ſpiritualis, ſed ſolùm ratione ſui, ut patet in eccleſia, labor doctrinę nil ualet, niſi ratione doctrinæ. ergo. Tertia cõcluſio, Spirituale* in propoſito eſt, quod uocatur donum Spiritus ſancti, quia Actuũ 8. de hoc cõdemnatur Simon, quia uoluit emere ſignum Spiritus ſancti: & Matt. 10. præcipit apoſtolis gratis dare, quia gratis acceperũt. Primũ corol. Omnia quæ Apoſtolus numerat 1. ad Cor. 12. & ad Ephe. 4. ſunt ſpiritualia iſto modo. Diuiſiones (inquit) gratiarum ſunt, idem autẽ Spiritus, diuiſiones miniſtrationũ ſunt. & infrà, Vnicuique autem datur manifeſtatio Spiritus ad utilitatem, alii quidem ſermo ſapiẽtiæ, alii ſermo ſcientiæ, alteri fides, alii gratia ſanitatum, alii opera uirtutum, alii prophetia, alii diſcretio ſpirituũ, alii genera linguarum, alii interpretatio ſermonum. Et ad Epheſ. 4. Aſcendens in altum, captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus. Et ipſe dedit quoſdam quidem apoſtolos, quoſdam autem prophetas, quoſdam uerò euangeliſtas, alios autem paſtores, & doctores ad conſummationem ſanctorũ, in opus miniſterii. Omnia enim hæc ſunt gratia & dona Spiritus ſancti. Secũdũ corol. Omnia quæ ſpectãt ad ſalutem hominis, dicuntur ſpiritualia in propoſito. patet,

6

1. Corin. 12. Ephe. 4.

Epheſ. 4.

tet, quia omnia quæ ſpectãt ad ſalutem animæ ſpiritualem, ſunt dona Dei, uel ſpectant atque ordinantur ad dona, uel procedunt ex ipſis. Confirmatur concluſio cum corollariis, Vbicunque in Scriptura reprehenditur emptio, aut uẽditio alicuius, ſemper eſt de aliquo ſpirituali, hoc modo. ut patet de Balaam, de quo habet nume. 22. & Deut. 23. qui cõdemnatur à Beato Petro. 1. Petri. 2. inde, qa mercede cõductus, uoluit maledicere filiis Iſraël. & de Gihezi. 4. Reg. & de Hier. 3. Reg. 13. & conſtituebat ſacerdotes pecunia & pretio. In omnibus autẽ illis erat aliqd ſpirituale, ut gratia ſanitatis, ſpiritus propheticus, authoritas ſacerdotii, quæ omnia ſunt ſpiritualia hoc modo. ergo ita capiendum eſt ſpirituale in materia ſimoniæ. Et confirmatur, quia prohibitio ſimoniæ ſumpta eſt ex Scriptura. ſed ſcientia, nec aliquod aliud bonum acquiſitum in Scriptura uocatur donum Dei, nec ſpirituale: imò nec ſancti antiquiores unquam dicerent geometriam eſſe bonũ ſpirituale. ergo nulla ratione ſimonia cõſiſtit circa illã. Confirmatur ſecũdo, Nã ſiquis daret beneficiũ pro ſciẽtia geometriæ aut medicinæ, eſſet ſimoniacus. ergo ſcientia nõ eſt ſpirituale, ſed tẽporale bonũ. Probatur antecedẽs, Quia ſi quis daret beneficiũ ut doceret ſibi geometria, pfectò eſſet ſimoniacus: ſed quia geometria eſt ſpiritualis, non licet eã

Nume. 22. Deuter. 23.

uendere, ergo nec artes mechanicæ, ſcilicet ſar
ctoriæ, ſutoriæ poſſunt uendi. S. Thom. 2.2.q.
71. articu. 4. dicit, quòd aduocatus in cauſa iu-
ſta poteſt uendere auxilium, & patrocinium,
& conſilium

7 ¶ Secũdũ dubiũ pro declaratiõe definitionis,
Quid* per emptionẽ & uẽditionẽ intelligatur
in definitione ſimoniæ, utrũ ſcilicet intelliga-
tur ſolus cõtractus, ubi interuenit aliquid tẽ-
porale, uel abſolutè prohibeatur omnis cõtra
ctus nõ gratuitus. Et quidẽ uidẽt primũ, quia
Act. 8. ubi primò uidẽt damnatũ hoc crimẽ in
nouo teſtamẽto, ſolũ prohibetur pactũ tẽpora
le. & Matt. 10. ſatis oſtẽdit Dominus idem pro
hiberi. ſtatim enim ſubiungit, Nolite poſside-
re aurum, neque argentum. Et in ueteri teſta-
mento patet in locis ubi ſuprà, nõ damnatur
nec temporalis merces pro beneficio ſpiritua
8 li, ut de Gihezi patet, & Balaã, & Hieroboam.
Sed hoc non obſtante eſt concluſio,

¶ Non* ſolùm emptio & uẽditio rerum ſpiri-
tualium, ſed omnino diſpenſatio, & permuta-
S. Thom. Adria. Ricar. Palud. Sylueſt. tio non gratuita, eſt ſimoniaca. Hęc concluſio
eſt S. Tho. q. 100. arti. 1. ad 5. & Adria quot lib.
9. arti. 2. & Ricad. in 4. diſtin. 25. & Palud. diſt.
5. & Sylueſt. uerbo permutatio. §. 4. & fuit anti
quiſsima. unde etiã Cantor Pariſienſis doctor
antiquus definit ſimoniam, quòd eſt ſpirituа-
lium acceptio uel collatio non gratuita. Et

Ricar.

Ricar. ſpiritualiter dicit, quòd non licet duobus adultis paciſci inter ſe, ut inuicem baptizentur. Probatur concluſio ex c. quæſitum de rerum permutatione: ubi diſertè continetur, quòd permutationes præbendarum continẽt expactione partium labem ſimoniæ. Et c. cùm olim. Innocẽtus 3. reprobauit Archidiaconatũ & Præpoſitatũ ex eo, quòd inter ſe commutaſſent. & ratio eſt, quia talis permutatio non gratis fit, & per cõſequens prohibetur Matth. 10. Præterea illud eſt uitioſum, & non uidetur aliud peccatum, quàm ſimoniæ. ergo eſt ſimonia. Maior patebit inferiùs latiús. Sed pro nũc probatur, quia ſpiritualia dantur propter utilitatem cõmunẽ, ut Apoſtolus ait 1. ad Corint. 12. & ad Ephe. 4. Ad cõſummationẽ ſanctorũ in opus miniſterii, in ædificationẽ corporis Chriſti. Sed ſi liceret huiſmodi commutationes facere poteſtates ſpirituales nõ diſtribuerẽtur pro utilitate communi, ſed in fauorem priuatorum hominũ. ergo illud eſt illicitum. de quo tamen uberius paulo pòſt diſſeremus. 1. Corin. 12. Epheſ. 4.

¶ Sequitur in definitione, Vel annexum ſpirituali. De hoc, ut nil ſit extra controuerſiam, ſunt etiam uariæ opiniones. Nam quidam intelligunt per ſpirituale, quod ex natura rei eſt ſpirituale, ut ſacramẽta, & eorum effectus. per annexum autẽ ſpirituali illud qđ per accidens, id eſt de iure poſitiuo, habet aliquid ſpirituali-

litatis. Sed communior expositio doctorum est, ut per annexum spirituali intelligantur illa quę ad spiritualia ordinantur, ut uasa, & ornamenta sacra. Ita exponit S. Tho. 2.2. qō. 100. articu. 4.

¶ Restat in definitione illa particula, studiosa uoluntas, in qua illud solùm dubitari potest, ut quid potius simonia diffinitur per actū uolūtatis, quàm homicidium, aut alia uitia, cùm æquè ex sola electione uoluntatis sint aliqui rei homicidii aut adulterii secundū illud, Qui odit fratrē suū, homicida est. aut, Qui uiderit mulierē ad cōcupiscendū eam, iam mœchatus est, &c. Ad hoc dico, quòd occasio huius fuit, q̄ Simon māgus cōnatus quidē fuerit donum dei pecunia possidere, sed opere nō perfecerit. ideo in definitiōe simoniæ ponitur, Nō opus ipsum, sed uoluntas, uel studium. hæc spectant ad quācunque definitionem intelligendam. Nūc redeundo ad quæstionem principalem,
10 Vtrū simonia sit licita, sitque prma, cōclusio.

¶ Simonia* est illicita. Hęc est nota ex euangelio, & ex sententia omnium Sanctorum & doctorū: sed quo iure, sit secunda conclusio.

¶ Simonia* est prohibita iure diuino. hæc etiā
11 est nota, tum ex ueteri, tum ex nouo testamento, ut patet ex locis superiùs allegatis Matth. 10. Actū 8. 1. Petri 2. Damnat Balaam. Errauerūt, inquit, secuti uiam Balaam, qui mercedem

dem iniquitatis amauit. Et de eodem Iudas in epistola, ut illis, qui in uia Cain abierunt, & in errorem Balaam mercede effusi sunt. & Iohã. 2. Cum fecisset dominus quasi flagellum de funiculis, omnes eiecit de templo, oues quoque, & boues, & mẽsas numulariorum subuertit, & his qui uẽdebãt columbas, dixit, Auferte ista hinc, & nolite facere domum partis mei domum negotiationis. simonia autem ita uidetur esse perniciosissimum negotiatoris in domo Dei. Imò quibusdam nõ sine causa Iudę uidetur eos esse indissimiles: ille enim redemptorem Christum uendidit, iste dona illius.

¶ Tertia conclusio, Simonia* est prohibita iure naturali. Probatur, quia lex noua nulla præcepta negatiua continet præter præcepta legis, nec, ut S. Tho. uidetur sentire, tum alibi, tum 12.q.108.ar.1. & 2. nec etiam præcipit affirmatiuũ nisi de sacramẽtis, & de fide. ideo uocãt lex libertatis Iacob.1. ergo prohibitio simoniæ nõ est superaddita in nouo testamẽto, de iure naturali. Et mirũ esset, q̃ hoc solũ nouũ mãdatũ inueniretur in nouo testamẽto, nec Balaã itẽ peccasset hoc peccatũ, qui solũ lege naturali tenebãt. Præterea si hoc fuisset nouum præceptũ, merito Simon magus excusari potuit, scilicet per ignorantiam. Præterea rationes, quæ fiunt à doctoribus de Simonia, procedunt iure naturali. Quarum prima est, quia spirituale non

potest

potest compensari aliquo temporali. unde de
Prouerb.3. sapientia dicitur Prouerb.3. quòd pretiosior est cunctis opibus. Et idē iudiciū est de quocunque dono diuino. Secunda, Quia homō
1.Corint.4. non est dominus bonorum spiritualium secundùm illud 1.ad Corint.4. Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorū Dei. Tertia, quia quæ gratis accepta sunt, sicut et alia, quę sola benignitate mortalibus sunt collata, debent gratis cōmunicari, ut aqua, sol, & alia quæ sine operibus nostris cōstāt. Quarta, quia data sunt à solo Deo. Nam uidetur iure gentium, quòd pisces maris, & feræ omnibus sint communes. Præterea si omnia dona Dei data sunt ad utilitatem communem, ut patet 1.ad Corin.12 & ad Ephes. 4. ergo iniuriam facit, qui in priuatam communitatem uult ea uēdicare. Prętera à posteriori, quia si permitteretur huiusmodi emptio, & uenditio, esset calamitas, & perditio rerum ecclesiasticarū, quarū dominatores, & administratores non essent meliores, sed ditiores, & auidiores. Omnes, inquam, hæ rationes procedunt stando in iure naturali. Ista est conclusio omnium doctorum, S. Tho. qō. 100. art. 2. & Armacha. lib. 10. c. 9. & Adria. quotlib. 9.

12 ¶ Sed maius dubiū est, Vtrū* simonia omnis sit prohibita de iure diuino, an aliqua sit solùm iure positiuo. Durand. quidem in 4. dist.

15. q.

15.qõ.5.negat esse aliquam simoniam solùm de iure positiuo. Et probat aliquot rationibus: sed duæ sunt potissimæ. prima, Si aliquid est malum solùm quia prohibitum iure positiuo, nõ est in alia specie nisi solùm inobedientiæ. si ergo esset aliqua emptio, & uenditio illicita, solùm, quia ecclesia prohibuit, non esset uitium simoniæ, sed solùm peccatum inobediẽtiæ. Et potest cõfirmari, Ecclesia prohibet uẽdi bona tẽporalia ecclesiarũ, & monasteriorũ, & tamen talis uenditio etiam contra ius, non est simonia. Et hoc uidetur dicere S. Tho. 2.2. q.104.arti.2.ad secundum. Secũda ratio, Nam simonia nõ potest esse nisi de spirituali re. sed non est ex institutione ecclesiæ, sed suapte natura q̃ aliquid sit spirituale, nec ne ergo nulla simonia est solùm de iure positiuo.

¶ In contrariũ est cõmunis sentẽtia doctorũ, qui ponunt distinctionem, q̃ aliqua sunt simoniaca de iure diuino, & aliqua de iure positiuo. Hæc est distinctio glossæ in c. ex parte de officio delegati. quã sequitur Ioan And. & Hostien. idem dicit Antonius de Butr. & Ioan. de Imol. c. 1. de simonia. eandem ponit Archi. & Adria. & Syluest. §. 2. & 4. & Caie. opus. de simonia. & in summa. & uidetur excerpta ex c. Saluator, 1.q.3. ubi Vrbanus papa determinat simoniam esse emere, aut uendere quamlibet rerum ecclesiasticarum, inter quas, aliquas numerat,

numerat, quæ profectò nihil spirituale uidentur habere, ut est præpositura, œconomia, castaldanus, & aliqua huiusmodi. Palud. dist. 15. q. 4 respõdet quidẽ ad rationes Duran. sed putat opinionem eius esse probabiliorem, & tutiorẽ. ergo credo quòd distinctio iuristarum in hac materia est bona, & necessaria. Quare notandum, q; quæstio proposita, Vtrũ omnis simonia sit de iure diuino, potest dupliciter intelligi. Vno modo in sensu cõposito. Vtrum sit in potestate Ecclesiæ, quòd aliquis sit simoniacus, & tamen non sit illicitè, & quantum ad hoc sit prima conclusio.

13 ¶ Nulla * simonia isto modo est prohibita solùm iure positiuo. Hæc patet clarè, Quia nõ dicitur simonia, nisi sit indebita emptio aut uenditio rei ecclesiasticæ, & sic est legitima, nec hæc quæstio habet locum in isto sensu, sed solùm in sensu diuiso. hoc est, an aliquis contractus, qui nunc non est simoniacus, sit simoniacus, uel possit fieri per ius positiuum. Et de hoc sit secunda cõclusio.

14 ¶ Aliqua * sunt spiritualia, & solũm iure positiuo. Probat, Vasa sacra, & uestes sacræ, in quarum emptione non committeretur simonia, nisi haberẽt aliquid spiritualitatis, ex hoc, quòd ordinantur, & dicantur ad sacra, quæ solùm habent ex institutione ecclesiæ. & ecclesia posset facere, ut ista non essent dicata illi ministerio,

nec

nec essent uasa ad illum usum. præterea illa habent id ex dono Dei, & calix, & ara habent deuotionem, sicut templū. Tertia conclusio ¶Emptio* aut uenditio istorum est prohibita iure diuino. Hæc conclusio est cōtra doctores, ponentes illam distinctionem, qui illā simoniam prohibitam solùm ponunt iure positiuo, ut uendere calices, & ornamēta. Sed probatur conclusio, quia ministerium, & officiū illorum est uerè spirituale. ergo si ratione illius uenduntur, aut emuntur, est simonia, sicut uenditio aquæ est solū de iure positiuo, & tamen est uere spiritualis, & si ratione illius emeretur, esset uera simonia prohibita iure diuino, sicut si quis emeret ipsum sacramētū. & ita ponit Maior & Sylvest. & Ant. de But. & alii, qui uocāt simoniā solùm iuris diuini, quoniā est spirituale ex natura sua. Confirmatur clarè, quia etiam subdiaconatus, & fortasse diaconatus sunt in ecclesia solùm de iure positiuo, & tamen non est dubitandum, quin cōsecratio illius ministerii empta, aut uendita, sit simoniaca de iure diuino, & ita est spiritualis consecratio ipsa calicis, sicut consecratio diaconi.

Maio. *Sylvest.* *Anto. de but.*

¶Vnde infero corollarium, quòd non minus est simoniacum de iure diuino recipere aliquid pro consecratione calicis, aut benedictione uestiū, quàm pro cōsecratione sacerdotis. estque quarta cōclusio, Aliqua* simonia

est om

est omnino præcisè de iure positiuo. Quia alia quæ sunt, circa quæ contingit simonia, quę re uera nihil spirituale continent, neque ordinantur propriè ad aliquid spirituale, sed solũ sunt annexa de iure positiuo rebus spiritualibus, talia sunt, quæ continentur in illo c. Saluator ut Oeconomia, Castaldanus, Præpositura, quæ omnia ordinãtur potiùs ad administrationem temporaliũ, quàm spiritualium: præterea administratio hospitaliũ, in qua nihil spirituale uidemus contineri. Et fortasse idem iudicium est de sepultura, quia non uidetur continere, nec ordinare aliquid spirituale: in istis, inquã, nulla est simonia nisi quia propter concomitãtiam cum rebus spiritualibus prohibita sunt uendi. Et intelligatur differentia inter hęc & alia (de quibus in propria conclusione) dico quòd si calix consecratur, aut aqua benedicatur, sine quacunque noua prohibitione ecclesiæ, erit simoniacum emere, aut uẽdere illa: sed administrationem hospitalis, aut officium procuratoris, aut œconomia ecclesiastica, nõ erit simoniacum emere, aut uendere, nisi quia ecclesia prohibuit, sicut posset prohibere. Confirmatur Sicut, simonia est quædam irreuerentia, & uiolatio rerum sacrarum, ita est sacrilegium: sed est sacrilegium aliquod, quia est prohibitũ à iure diuino, si quis abutatur sacramentis, aut aliquid de se turpe in loco sacro sa

cro faceret, aliquando autem est de iure positi uo, ut eripere hominem ab ecclesia, quod est precisè de iure positiuo: ita etiam non inconuenit, quòd sit aliqua simonia precisè de iure positiuo. Verum est, quòd apud doctores antiquos, ut apud Altisiod. Alexand. & d. Thom. non inuenio hãc disputationem, nec unquam inuenio apud S. Tho. quòd sit simonia emere aut uendere huiusmodi officia. Armach. lib. 10. c. 16. dicit, Quòd si qua sunt officia, aut beneficia, quæ nullam curam omnino regiminis habent annexam, ordinantur omnino ad administrationem spiritualem: non uideo, inquit, in talium emptione & uenditione simoniam posse committi. Vnde & de præbendis canonicorum non inuenit modum quomodo possent emptiones aut uenditiones illarum esse simoniacæ, nisi capitula habeant specialem iurisdictionem, saltẽ in eos, qui de collegio suo sunt, & qui habẽt, ut ipse putat, authoritatem prædicandi: unde re uera in illis officiis nihil est propriè spirituale, nihil simoniacum, sed tñ est prohibita iure. Cõfirmatur, Nam aliqua est emptio & uenditio nunc licita, quam si ecclesia prohiberet, esset simoniaca. Si enim ecclesia prohiberet propter reuerentiam sacramenti, ne calices uenderentur, etiam pro materia esset simoniaca. unde ergo aliqua simonia potest esse solùm de iure positiuo. *Armach.*

17 ¶ Sed est dubiũ, An* circa ea quæ sunt iure spiritualia, & secundum se, & de iure diuino, sit aliqua simonia de iure positiuo, uel omnis sit de iure diuino. Est quinta conclusio, Aliquis contractus, uel permutatio spiritualis secundum se est simoniaca de iure positiuo. Probatur, Permutatio mutua beneficiorum sine authoritate superioris est simoniaca, ut suprà probatum est, & solum de iure positiuo: & beneficium est res spiritualis, saltem ubi est cura animarum. ergo. Antecedens probatur. Et primo ostendo, quòd non est ita prohibitum de iure diuino permutare spirituale pro spirituali, sicut spirituale pro temporali. Patet, quia multa licent in permutatione præbendarum, quæ non licent in ordine ad aliquod tẽporale. Primũ licet dare beneficiũ pro spe alterius, quod non licet pro spe temporalis concedi. Præterea licet cõuenire de permutatione. Præterea licet renuntiare conditionali in fauorem alterius, qui permutaturus est, & nõ aliter. Præterea licet exprimere causam. & in summa licet omnia facere quæ fierent, si cõmutaretur domus pro agro. Hoc excepto, quòd per formam (ut aiũt) omnia referantur ad papam, uel episcopũ. Hæc autem nec somniare quidem licebit, si quis uellet permutare beneficiũ pro agro. ergo non est idem permutare temporale pro spirituali, & spirituale pro spirituali. dico autem hæc licere, id est,

est, sine uitio simoniæ fieri, non disputando de alio peccato. Innoc. in c. quæsitum. tenet, quòd in præbendis eiusdem ecclesiæ potest fieri permutatio sine licentia superioris. Et quamuis hoc non recipiatur, & oppositum teneat Hostiens. & Ioan. de Imola in cap. finali de rerum permutatione. & Io. Andreas, Quia in permutatione rerum est noua collatio. ut in c. unico de rerum permutatione, in 6. tamen signum est quòd illud de se non est simoniacum. Præterea doctores concedunt, quòd cùm agitur de sola permutatione, quòd potest fieri talis permutatio ecclesiarum ut unus episcopus concedat unam parochiam pro alia ad dirimendas lites. Imò S. Thom. dist. 15. quæst. 3. artic. 3. ad tert. dicit, quòd si permutationes huiusmodi fiant pro aliquo terreno commodo, sunt simoniacæ, secus autem si sint pro commodo spirituali. unde si est periculũ de simonia, hoc est propter temporale annexum. Præterea quis dubitat, quin iure posset concedi, q̃ permutationes, quæ fiunt authoritate superioris, possent fieri sola uoluntate partium saltem in casu, & tunc non esset simonia cum quo nunc est. Præterea principaliter probatur conclusio, quia Actuum 8. certum est non condemnari permutationem unius spiritualis pro alio, nec Mat. 10. uidetur prohiberi nisi merces, uel pretiũ temporale. ut patet ex eo, q̃ post illa uerba

Gratis accepistis, sequitur, Nolite possidere aurũ, nec argentum. Et ita exponunt illum locum Hiero. Chrysost. Greg. Remig. & glossa, & alii doctores, nulla mentione facta de alia permutatione spirituali pro spirituali. nec in ueteri aut nouo testamento locus inuenitur, unde possit damnari, aut reprehẽdi huiusmodi permutatio. Item rationes contra simoniam, nõ uidentur procedere contra huiusmodi permutationes rerum spiritualium. non enim uidetur quid habeat inhonestũ, ut componã tecum, ut ores pro me, & ego pro te, ut absoluas me, aut audias cõfessionem meã, & sis cõfessor meus, & ego sim tuus. nec sufficit dicere, quòd hoc est per modum pretii, quia certũ est, q; non licet cõponere, ut absoluas me ut dem tibi pecuniam, eo modo, quo licet pacisci ut sis confessor meus, & ego sim tuus, maximè ubi ista fiũt pro maiori utilitate utriusq;, ut tu legas in parochia mea, & ego prædicem in tua. Prẽterea ex hoc nulla iactura sequitur in republica Christiana, sicut in commutationibus pro rebus temporalibus. Prẽterea sicut superius arguebã, Sicut simonia est quẽdam iniuria, et abusus rerum spiritualium: ita sacrilegium. Sed circa res de se sacras est aliquod sacrilegium solũ de iure positiuo, ut si quis celebrauit sine ara, & sacris uestibus, aut non ieiunus communicaret. ergo similiter erit aliqua simonia circa spiritualia de

se sol

se solum contra ius positiuum. Preterea certum est, q̃ aliqua liceant nũc circa spiritualia per se, quæ essent simoniaca, si ecclesia prohiberet, ut exigere stipendium pro sacramento aut administratione sacramentorum, aut paciſci de pretio in necessitate (ut infrà dicitur) quę etiam & similia essent simoniaca, si ecclesia prohiberet. Innocent. Nerberius dicit, quòd in collatione beneficiorum potest prælatus paciſci, & exigere aliquid spirituale. Præterea doctores antiqui nil loquũtur de ista commutatione unius spiritualis pro alio, nec Magister sentẽtiarum, nec Armacha. Præterea definitio cõmunis nil dicit de hoc. ergo uidetur quòd simonia, quæ cõtingit in permutatione unius spiritualis pro alio, nõ sit de iure diuino. unde nescio an certũ sit, quod dicit Ricar. q̃ si duo adulti paciſcãtur ut inuicem se baptizent, quòd sit simoniacum: potius credo, q̃ de se nõ esset illicitum: & cum de hoc nõ habeatur spiritualis prohibitio, nisi in materia præbendarum, puto q̃ non est formidandum in illis spiritualibus cõponere uel paciſci: quare nõ uideo quòd simoniacus esset, si cõmutaretur calix consecratus pro ara consecrata ratione confractionis, aut reliquiæ beati Petri p̃ reliquiis beati Dominici. Maior in 4. d. 25. q. 5. ad 4. dicit, quòd translatio & permutatio beneficiorũ non est simoniaca, sed p̃pter periculũ simonię, & fraudis, iura hoc prohibẽt. *Maior.*

Et simpliciter unum spirituale pro alio non est illicitum. Ex his patet, quòd propriùs loquut' est Duran. quàm alii, ut Maior. quia Duran. nó admittit simoniã nisi circa uere spiritualia, nec meminit simoniæ in aliis officiis, neq; spiritualis pro spirituali. unde negat distinctionem. Et Maior, qui negat simoniam circa illa officia uel circa spiritualia pro spirituali, debuit etiam non recipere distinctionem. Imò Maior dist. 25. quæst. 6. dicit, quòd in spiritualibus aliis licet commutare unum spirituale pro alio, ut missam pro psalterio. Ex quibus omnibus sequitur corollariũ primũ, In spiritualibus solum impropriè, & de iure positiuo, ut de hospitalitatibus, de sepulturis, de officiis ecclesiasticis, quæ nil spirituale continent, ad iudicandum, an aliquis contractus sit simoniacus, habenda est solùm ratio & cõsideratio iuris positiui. quidquid enim iure cõceditur, permittitur in ecclesia per se loquẽdo. unde circa illa quando non est certum utrum sit simonia, consulendum est ius scriptum, atq; adeò si non constet esse simoniam, declarandum est potius in partem mitiorem, & absoluendum magis, quàm condemnandum, maximè cùm agitur de pœna & restitutione, quidquid dicãt glossæ. Secundum corollarium, Eodẽ modo in permutationibus spiritualiũ pro spirituali si nõ est damnatum iure positiuo, non est damnandum, nec extenden

tendendum, ſed potius reſtringendum, quia eſt odioſum. Tertium corol. Circa ſpiritualia propriè ſpiritualia, ſiue de iure diuino, ſiue poſitiuo ubicunq; interuenit pretium temporale, nil opus eſt conſulere ius poſitiuum, ſed iudicandum eſt iure diuino. Ex his patet diſtinctionē illam Iuriſtarum de ſimonia, de iure diuino & poſitiuo eſſe neceſſariam, & utilem in hac materia, ſi ſanè intelligatur. Ad argumenta autem in cōtrarium reſpondetur ad primum, Falſum aſſumitur, & contra totam philoſophiā moralem. Sicut enim lex diuina cōſtituit aliquid nō ſolum in ſpecie obediētię, aut inobediētię, ſed in ſpecie alteri⁹ uirtutis determinatæ, ita & lex humana. Et ſicut eſt intemperantia, quia prohibitum lege diuina, ita comedere carnes in quadrageſima nō eſt inobediētia, ſed intēperantia (niſi fiat in contemptum) ſicut extrahere hominem ab eccleſia nō eſt inobedientia, ſed uerum ſacrilegium. Ad confir. dico, q̄ eccleſia nō prohibet uendi bona eccleſiaſtica tanquam ſacra, aut eccleſiaſtica, ſed ſicut prohibet uendi bona pupillorum: & ideo non eſt ſimonia, quia non ſunt ad miniſteria ſpiritualia, ſed ad ſuſtētationem tēporalem. Ad ſecundum, dato, q̄ ita ſit, q̄ eccleſia non poſſet facere ſpirituale per legē quod non erat ſpirituale, poteſt tamē annectere ſpiritualibus, & eiſdem legibus ſubiicere, & ita facit de aliquibus, ut ſuprà expoſitum eſt, &

hoc ſatis eſt, ut ſit contractus ſimoniacus, de iure ſolum poſitiuo. Sed an in permutationib' prębendarum, ſi aliqua prębenda eſt pinguior, poſsit aliqua pecunia interuenire ad cõpenſandum tẽporale, ut de præbenda mille aureorum in reditu pro præbenda quingentorũ aureorũ, an liceat cõponere, ut des mihi mille aureos, q dicuntur penſio pecuniæ numeratæ? Reſpõdit Angelus in ſũma, in uerbo, pmutatio. §. 6. dicẽs hoc notaſſe Panor. in c. ad quęſt. de rerũ pmut. quando, ſcilicet, datur ratione tẽporalium, ſecus ſi ratione iurium, aut dignitatis ſpiritualis, quæ eſt maior in uno, quàm in alio. Sed Adri. quotl. 9. ad 8. principale, dicit Angelũ uehementer erraſſe in hoc, nec Panor. unquã hoc cogitaſſe, nec tex. loqtur de tali cõpenſatione unius prębendę cũ alia, ſed de permutatione poſſeſſionum, quę poſsidẽtur iure proprietario, quę uendi poſſunt per ſe, & per conſequens permutari, ſed nõ beneficiis admixtæ. Probatur. Nam ſi quis permutaret præbendam nullum habenteni reditum, poſſet dare mille aureos ut haberet præbendam ducẽtorum aureorum in reditu, non dubito quin ſit falſa opinio Angeli. Poſtquam ergo ita eſt, quòd ſimonia eſt illicita non ſolũ iure diuino, ſed humano, dubitatur, quis primus hoc crimen inceperit. Videntur enim doctores dicere, quòd primus author & inuentor fuit Simõ ille dãnatus à beato Petro,

quod

quod ex ipso nomine apparet: & uidetur quòd in lege naturæ cadere nõ potuerit, cùm illic nõ esset aliqua potestas propriè spiritualis. Sed his non obstãtibus est prima cõclusio. In* lege scripta potuit esse, & fuit hoc uitiũ. Probatur, quia erãt sacramẽta, & sacerdotia, quę licet nõ haberent illam efficaciam spiritualẽ, quæ habent in lege Euangelica, tamen erant ordinata ad illum finem spiritualem, & per consequens negotiatio illorum erat prohibita iure diuino. Et quòd ita fuerit, patet de Giezi 4. Reg. 5. de quo legitur, quòd accepit duo talenta à Naaman principe militię regis Syrię, quẽ Elisęus à lepra curauerat. & de Hieroboam, de quo legitur 3. Reg. 13. quòd fecit de nouissimis populi sacerdotes excelsorum, & quicunq; uolebat, implebat manum suam, & fiebat sacerdos. Etiam 2. Machabæorum. 4. de Iasone fratre Oniæ legitur, quòd dedit Antiocho argenti talenta trecenta sexaginta, ut fieret sacerdos. & 2. Macha. 4. legitur de Almachio, quòd uenit ad regem Demetrium, offerens coronam auream, & palmam, ut cõstitueretur ab eo summus sacerdos, quod & factum est. Omnes (inquam) illi uno peccato peccauerũt cum Simone mago, quanquam de omnibus illis, saltẽ de Giezi, Hierob. & Iasone uideatur posse dubitari. Nã si Giezi fuit simoniacus qui recepit, ergo & Naaman qui dedit uiginti talenta, qui tamen non repre

4. Reg. 5.

3. Reg. 13.

2. Mach. 4.

henditur à Scriptura. Ad hoc respondet Armachanus lib.10.ca.21.quòd(ut constat)Naaman gratis dedit ad sustentationem uiri Sancti. Sed Gihezi fraude accepit, dicens se ab Elisæo missum, ut peteret ab eo. Sed maius dubium uidetur de Hieroboam & de Iasone, qui nullam potestatẽ emerunt, aut habuerunt, cùm essent Sacerdotes idolorum, & potestatem acceperunt à tyrannis, qui nullam dare
Adrian. poterant. Ad hoc Adria.in quotl. de Hierob.
Palud. & Palud. in 4. etiam de Hieroboam & Iasone dicit, quòd re uera ita est, quòd quanquam tantum fuit ex obedientia, nullum peccatum fuit simoniæ, sed fuit ex intentione: quod sufficit & ad peccatum quantum ad speciem, &
August. quantum ad culpam. Vnde & beatus August. 1.q.1. dicit q̃ ignis sacramenti, qui per septuaginta annos Babylonicæ captiuitatis sub aquis uixerat, extinctus est Antiocho uendente sa-
19 cerdotiũ Iasoni. ¶ Secunda cõclusio, In *lege naturæ potuit esse aut fuit peccatũ simoniæ. Probatur, quia fuit uerum Sacerdotium, ut patet de Melchisedec. Gen.14. & ad Hebrę.7. & in Psal.109. ergo negotiatio esset simoniaca: & propterea non est dubitandum, quin haberent multa sacramenta ordinata duntaxat ad finem & salutem spiritualem, & per consequens emptio aut uenditio illorum esset simoniaca de iure diuino. Et quòd etiam fuerit,

patet

patet de Balaam propheta, Nume.22.&.2.Petri 2. & in Epistola Iudæ. licet de Balaam possit dici, quòd non peccauit, nisi quia iniq; uoluit agere contra Israël. ¶ Dubitatur, an *inter Paganos, & idololatras potuerit esse hoc crimen simoniæ. Videtur enim quòd non, cùm nulla potuerit esse apud eos potestas spiritualis, nec aliquid uerè spirituale. Ad hoc respondet tertia conclusio, ¶ Emptio * aut uenditio apud idololatras non solum fuit ex intentione, sed etiam ex obiecto uerum crimen simoniæ. Probatur, Nam, ut disputaui in quadam relectione, in lege naturæ erat potestas apud populum, aut apud principes constituendi uiros Sacerdotes, quomodo etiam fuit Melchisedec, neque propter idololatriam amiserant hanc potestatem: ita quòd Sacerdotes gentilium erant ueri Sacerdotes, id est, habebant legitimam facultatem gubernandi populum in spiritualibus, quanquam illi abuterentur illa potestate ad cultum dæmonum: & ita negotiatio, & ambitio illorum erat peccatum pro tali sacerdotio, & eiusdem rationis, sicut nunc est. Vide autem quòd Hieroboam & Iason non fuerunt simoniaci nisi solum ex intentione, non, ut putant Adrian. & Palud. propter quod illa essent sacerdotia idolorum, sed reuera: quia nec Hieroboam, neque Antiochus tradere poterant talem potestatem,

Simonia apud infideles inuenitur

Apud gentiles erant ueri sacerdotes

tem, cùm essent tyranni. Et ex his patet, quòd & Cæsar, & illi, qui per largitionem cõsequuti sunt inter suos sacerdotia, idem peccatum peccauerunt sicut Simon. Secus autem uidetur iam uel apud Iudæos, uel apud Paganos, apud quos expirauit omnis potestas spiritualis, atque adeò non uidetur quòd esse possit peccatum simoniæ ex obiecto, sed adhuc circa definitionem propositam, sicut determinatum est quid pro spirituali intelligatur. Est dubium longũ & graue, quid pro temporali intelligatur. Postquam constituimus non esse simoniacum per se & iure diuino, nisi interueniat aliquid temporale, descendendo distinctius,

22 quæritur, An * si quis timore, consanguinitate, precibus, fauore, aut obsequio recipit, ut administret spiritualia, sit simoniac⁹. Et primo

Bonauen. de timore d. Bonauẽ. 4. d. 25. tenet, quòd dare beneficium ratione timoris, est simonia. Præ-

Durand. terea Durand. dist. 25. q. 4. dicit quòd etiam si det digno, quo ad Deum est simoniacus. Idem

Adrian. dicit Adria. quotl. 9. art. 2. & proponit non solum ratione timoris de malo temporali, sed etiam ratione indignationis. Idem habet An-

Angelus. gelus, uerbo, simonia. §. 3. & Maior expresse, d.

S. Thom. 15. q. 3. Et Sanct. Tho. in 4. d. 25. q. 3. ad 3. dicit quòd si spiritualiter mouetur propter timorẽ, manifestè est simoniacus. Præterea ex c. nemo. de simonia. Et probatur, quia qui taliter dat,

non

non liberaliter dat, ego est simoniacus. & Cicero 2. Rhetoricorum, Qui metu mortis facit, non liberaliter facit. Sed hoc non obstante est prima conclusio, ¶ Conferre * spirituale sine respectu ad illud commodum, uel incommodum, timore indignationis, non est simoniacum. Probatur. Talis dat gratis, id est, non pretio aliquo modo, ergo nō est simoniacus. Probatur, quia ex hoc, quòd aliquis timeret offendere regem, non recipit, aut amittit aliquid temporale. Præterea si quis timore orat, celebrat, confitetur, non est simoniacus, neq; qui absoluitur, & tamen hæc sunt maximè spiritualia. *Cicer. 2. Rhetori.*

24 ¶ Secunda conclusio, Non * uidetur malum dare spirituale digno ex timore. Probatur eodem modo, quia neq; celebrare, neq; communicare ex timore, est peccatum. Tempore enim quo aliâs non teneor communicare, aut confiteri, si timore pœnæ impositæ à prælato confiteor, nullum est peccatum. Suppono enim in præsentia, quòd opus ex timore seruili aliâs bonum, non est peccatum, contra Lutheranos. Præterea facere ista ad uitādum pœnam inferni, non est peccatū, quia timor etiam seruilis est donum Spiritus sancti, secundum S. Thom. 22. q. 19. artic. 4. & 6. & glos. ad Rom. 3. Præterea incutere istum timorem, ut arguebam, est bonum. Vt si Papa minaretur Episco-

po

po exilium, aut carcerem, nisi dignos promo-
25 ueat. ergo. ¶ Tertia conclusio, Idem etiam uidetur inditium de timore mali temporalis, ut uitæ, aut exilii, aut carceris, dum modo hoc non redundet in aliquod commodum temporale, ut sit ex pacto aut aliquo modo per modum pretii, ut tyrannus comminatur Episcopo exilium, nisi Petrum ordinauerit. Probatur eodem modo, quia gratis dat. Præterea, incutiens timorem, non est simoniacus. ergo nec patiens erit. Præterea, si esset lex, quod Episcopus prouidens indigno soluat decem marchos argenti, lex esset iusta. ergo Episcopus, qui illo timore prouidit digno, non est simoniacus. Præterea, quia tunc talis collator incurreret pœnas excommunicationis, et alias pœnas iuris, & recipiens beneficium teneretur restituere. Hæc autem nec authores contrarii audent dicere, neque est in usu. Probatur consequentia. Nam pœnæ latæ sunt aduersus simoniacos in ordine, aut beneficio absolutè sine distinctione. Præterea, quia in illo capit. Saluator. 2. quæst. 3. ubi Vrbanus Papa latè tradit modos & species simoniæ, nullam mentionem facit de timore. Præterea, si quis nollet conferre digno, nisi timore, quia tamen uolitione conditionata, & uitiosa, hoc non esset simoniacum, sed acceptio personarum, uel aliud peccatum. Et nihilominus uelle dare

digno

digno ex timore pœnę, imò ad uitandum pœnam adhuc esset bonum. Si autem talis timor resolueretur ad commodum, aut ad pretium temporale, credo quòd esset simoniacum, ut si princeps daret Episcopo salarium, aut stipendium, & Episcopus timens perdere, uelut de nouo haberet, conferret beneficium, esset peccatum simoniæ. Sed nec hoc uidetur certum, maximè si iste finis sit mediatus, putà uel timeret perdere amicitiam, uel munera Regis, uel sperat fieri amicus. ¶ Ad argumentum ex authoritate Sanct. Thom. respondeo, quòd intelligit de simonia largo modo, & in propria. Fateor enim quòd cùm respectu aliquo temporali fit administratio spiritualium, est peccatum à fine, sed non est simonia damnata à Christo, uel à Petro. Vel dic reuera, quòd Sanct. Thom. in 4. sequutus est opinionem sui temporis, quam postea reliquit in Summa. Imò Sanct. Thom. quæst. 100. suprà, per hoc probat, ut statim dicam, quòd conferre ratione consanguinitatis, non est simoniacũ, quia non est illic emptio, aut uenditio, sine qua non est simonia, sed neq; quando fit ratione timoris. ergo nec hoc est simonia, cùm hæc uidetur esse sententia Caiet. in Sũma, tit. de simonia. ¶ Dubitatur, An* collatio spiritualis ratione consanguinitatis sit simonia, Beatus Bonauent. dist. 25. tenuit quòd

sic

sic. Et fuit opinio Parisiens. ut recitat Altisiodoren. idem Glos. cap. unico. ubi reprehendit Innocen. 3. Archiepiscopum Mediolan. quòd beneficium cõtulerit in fauorem carnis. Glosa autem hoc dicit esse simoniam. & in capit. nemo. de simonia. dicit, quòd est simonia, si quis ex affectu consanguinitatis admittit impœnitentem ad sacramenta. Maior. dist. 2. q. 3. expressè id habet. Nihilominus est prima con-
27 clusio, ¶ Conferre * beneficium intuitu consanguinitatis, non est simoniacum. Hæc est S. Thom. q. 100. art. 5. ad 2. & Altisiod. ubi suprà. Et ratio est, quia gratis dat, & non est emptio, aut uenditio. Præterea si collator est simoniacus, ergo & qui sciẽter eo intuitu recipit, quod nemo dicit, neq; talis damnatur ad restitutionem. Imò in cap. nec ecclesia. bene reprehenditur Archiepiscopus. Primum quia retinuit sibi prouentus beneficii, quod contulerat, & hoc cõdemnat tanquam simoniacum. Secundum est, quòd affectu carnali hoc feciſſet, & hoc non dicit esse simoniacum, quanquam esset turpe, unde maius argumentum sumitur ex illo cap. quod non sit simoniacum: sed amicitia consanguinitatis est honesta. ergo.
28 ¶ Secunda conclusio, Si* quis conferat beneficium consanguineo aliâs idoneo quantumcunque motus à consanguinitate, non peccat mortaliter. Quod uidetur cõtra Altisiodoren.

qui

qui quamuis dicat nõ esse simoniacum, tamen dicit esse mortale. Probatur, Actus ex obiecto est bonus, & circunstantia non est mortalis. ergo neq; actus. Sed opinio Altisiodor. est probabilis, quia uidetur notabilis iniuria. Præterea, fundare beneficium pro consanguineis, est licitum. ergo. Præterea, lex de patrimonialibus est licita. ergo. Præterea, dare extraneo ratione nobilitatis, atque alia humana ratione, nõ est mortale. ergo nec ratione consanguinitatis. ¶ Tertia conclusio, Pontifices
29 *parati ad dandum beneficia consanguineis sine deliberatione, peccant mortaliter. Probatur, quia cõmuniter omittunt digniores, imò plurimi, qui non sunt digni, & saltem tales Episcopi gerunt propositum conferendi consanguineis qualescunque sint. Et præterea est magnum scãdalum in ecclesia, & quidem dant pluribus occasionem dandi indignis. ¶ An
30 *cõferre beneficia propter preces principaliter est simonia? Glossa in c.ordin.2.quæst.1. dicit esse simoniã, saltẽ si preces sunt per se. Et probat ex illo c.ubi Greg.quartº dicit, ordinationes in ptio, uel prece, uel obsequio factas, esse falsas. Et eadem quæst.c.si non multi. expresse dicit, quòd in ordinationibus pecuniam quidem non recipiunt, sed summa in fauorem, aut gratiam, aut laudem aucupantur, gratis acceperunt, & non gratis dant. Et in c. Saluator. Gregor.

1.quæst.3.dicitur, quòd munus linguæ,uel pe-
Innocent. cuniæ,uel obsequii facit simoniam. Sed Innocent. c. neq; tuam de ætate & qualitate. dicit, quòd quomodocunque interponantur preces, siue pro digno, siue pro indigno, si non interueniat aliud temporale, non est simonia. Quem sequitur Cardin. ibidem. Et idem Ho-
Hostiens. stiens. licet sit turpe, & quasi simoniacum. & Panorm.eod. cap.tuam.dicit, quòd in eodem casu,in quo glossa dicit esse simoniacum, non est simonia, nisi quis intendat obligare colla-
Adrian. torem. Adria. tamen in suo quotlib. sequutus glossam dicit, quòd inducere preces, ut collator tanquam fauorabilis accipiat, est simoniacum, & collatio simonia, etiam si sunt pro digno, & in beneficio simplici. Et probat, quia in dicto.c.tuam.tradunt doctores, q̃ qui propter adulationē dat,est simoniacus. Præterea, quia talis pluris æstimat precem, quàm pecuniam,& fauorē,quàm pretium. Et addit Adri. hanc esse opinionem theologorum,ut S.Tho. & Duran.Idem habet Maior q.3.& Palud.Imo addit, si est paratus dare uni, & propter preces det digniori,est simoniacus.Hoc uidetur con-
Sylvest. cedere Sylvest. eodem tit.§.13.dist.16. Non refert,inquit, quantum ad Deum, an pro digno sint preces,uel pro indigno,licet quo ad eccle-
Durand. siam referat. Et idem expressè tenet Durand. d.25.q.4.ubi dicit, quòd siue preces fiant pro

digno

gno, siue pro indigno, si principaliter mouetur collator fauore rogantis, quantũ ad Dei iudicium, simoniam committit propriè capiendo, atque etiam incurrit pœnam iuris. Idem dicit Palud. q. 5. art. ult. Idem uidetur habere Armacha. lib. 10. art. 18. & S. Tho. dist. 25. quæst. 3. art. 3. dicit enim, quòd quicunque dat spirituale pro temporali cõmodo, est simoniacus. Idem uidetur habere 2. 2. quæst. 100. art. 5. ad 3. Temporale autem commodum, inquit, uel est ex parte animæ, sicut amicitia, uel fauor aliquis. Et ad tertium dicit contra canonistas, quòd si collatio fiat propter preces ad habendum fauorem, uel amicitiam, aut laudem, uel ut uitet pericula: manifestè, inquit, est simoniacus, siue pro se, siue pro alio, siue pro digno, siue pro indigno. Nec uidetur discessisse ab hac sentẽtia 2. 2. ubi suprà, ubi uidetur idẽ sentire. Et ratio eius est, quia fauor, uel amicitia humana, aut laus est æstimabilis pretio, & per consequens cadere potest sub ratione emptionis & uenditionis. Sed bona uenia tantorum uirorum in hac parte libentius sequerer sententiam canonistarum, & ideo respondeo probabiliter per conclusiones. ¶ Prima conclusio, Illicitũ * est conferre spiritualia ad captandum quodcunq; commodum non spirituale, siue digno, siue indigno, ut ad captandum amicitiam, laudem, fauorem. Ista est omnium doctorum: & sa-

S. Thom.

n 2 tis

tis probatur ex dictis in cap. Saluator. & in c. nemo. & in c. sunt & nonnulli. & quia uidetur esse cõtra dictum Domini, Matt. 10. Præterea, quia omnes rationes, quæ fiunt contra simoniam pecuniarum, uidentur procedere contra istam. Primo, quia facit iniuriam rebus sacris, tam uili eas æstimando. Præterea, quia hac uia ecclesiæ bona uenirent ad potentiores, & non ad meliores. Præterea, quia sunt bona communia, & per consequens est acceptio personarum distribuere per fauores, & amicitias humanas. ¶ Secunda conclusio, Nescio * an hoc 32
ipsum sit mortale, si aliàs collatio fiat digno. Probatur, Nam stando saltem in iure diuino, sperare, aut optare laudem humanam, aut fauorem ex aliis actibus spiritualibus, ut ex prædicatione, celebratione sacrificii, & collatione sacramentorũ, neq; uideo cur ista condemnentur de mortali, cùm solum uideatur uana gloria, quæ est de numero uenialium. Dixi, stando in iure diuino, quia fortè ecclesia uoluit ita expressè prohibere. ¶ Tertia conclusio, Non
*puto hoc peccatum esse propriè simoniam. 33
Dico propriè, quia Dominus nõ condemnauit, aut beatus Petrus, neq; condemnatur ab ecclesia. Hanc puto esse sententiam domini Caietan. in Summa, uerbo, simonia, notabili quinto, ubi dicit, quòd triplex est muneris genus, ab obsequio, à lingua, à manu, ad hoc

ut

ut simoniam constituat punitam ab ecclesia, exigitur, quòd pretii rationem habeat, & propterea si laus, adulatio, preces non per modum laudis, adulationis, pretii, concurrant, quantumcunque sint nephariæ, carnales, & pro indigno, & efficaces: ita quòd inducant prælatum ad donandum beneficium, ad conferendum ordinem, simonia propriè non incurritur, quia uerè nulla est hic emptio, aut uenditio. Et primò contra distinctionem glossæ arguitur, nam certè si fundere preces per se est simoniacum, ut ipse dicit, ergo & pro alio: & si pro digno, ergo & pro indigno. Præterea, administratio aliorũ spiritualium propter fauorem, & gratiam consequendam, non est simoniacum, & hæc sunt maximè spiritualia, quàm officia ecclesiastica. ergo neque collatio beneficiorũ. Præterea, secundum illud essent simoniaci, qui etiam post factum laudarent, aut fauerent alicui ratione prædicationis, aut alterius ministerii spiritualis, quod nemo concederet. Præterea, si quis offerat sacrificium propter consequendam salutem spiritualem, uel potius temporalem, uel pro fructibus terræ, nullo modo esset simoniacus, quare ergo propter fauorem aut laudem? Præterea, tales non incurrunt pœnas simoniacorum, neq; tenentur ad restitutionem. Vnde Palud. ubi suprà dicit, quòd qui consequutus est beneficium *Palud.*

propter preces carnales à se uel ab alio interpositas, si est dignus, non tenetur restituere, sed debet pœnitere de corrupta intentione. Ex quo patet, q̃ irrationabiliter idem ipse dicit, quòd si est indignus, debet resignare, quia certè nihil facit ad simoniam, an collatio fiat digno, uel indigno, neque est mihi uerisimile, quòd ecclesia in hac materia uoluerit de nouo aliquid prohibere, præterquã quòd Christus prohibuit. Imò in d.c. Saluator. 1. quæst. 3. ex illo Matth. 10. Vrbanus Papa probat triplex munus, scilicet, à manu, à lingua, ab obsequio esse simoniã, unde nihil de nouo uidetur con-
34 stitutum. ¶ Quarta conclusio, Si * preces, uel fauor, uel laus resoluerentur tanquam pretium in aliquod tẽporale, clarum est, quòd esset simoniacum. ut si Pontifex pro collatione beneficii ecclesiastici exigeret fauorem apud principem ad consequendam dignitatem temporalem, aut reditus consanguineis suis, aut laus ad consequendam pecuniam, uel aliquid simile. Et patet, quia nil refert quod pretium detur mediatè uel immediatè pro re spirituali. Hæc est Innocent. & Cardina. ind. c. tuam. de ætate & qualitate. ¶ Quinta conclusio, Si
35 * preces, fauor, uel laus, aut amicitia deducerentur in pactum, fortè esset simonia, quamuis hoc non habeo pro certo. Sed uidetur, quia tunc cederent per modum pretii. Et ita uide-

tur

tur sentire Caietanus ubi suprá. Totum hoc confirmatur de consanguinitate, timore, precibus, quia ista essent simonia. Omnis acceptio personarum, imò omnis inordinata distributio spiritualium, esset simonia, quia semper fit ex aliquo motiuo, & non spirituali. Ad authoritatem S. Thom. respondeo, quòd intelligit, cùm preces, & alia interueniunt, sicut in 4. & 5. conclusione dictum est. Et in summa puto, quòd temporale in materia de simonia solum intelligitur quod est subiectum auaritiæ. Nam peccata multa solent contingere in administratione spiritualium. Sed in hoc erratum est, quòd uolunt de peccato facere simoniam in hac materia. Itaque simonia est dare, uel accipere aliquid spirituale pro bono aliquo utili, hoc est, facere quæstum de spiritualibus. Præterea, dico de munere ab obsequio per conclusiones.

36 ¶ Prima conclusio, Cum * obsequium est pecunia æstimabile, ita quòd tandem resoluitur in commodum temporale, pro tali obsequio conferre officium ecclesiasticum est simoniacum. Verbi gratia, Si Episcopus releuatur à salario ministrorum, quod aliâs erat daturus, & ea ratione dat beneficia, simoniacus est. Hæc propositio uidetur nota, quia nihil uidetur referre, an pretium temporale mediatè uel immediatè interueniat. & ut Aristot. dicit 3. *Aristotel. 3. Ethic.*

Ethicorum, quidquid pecunia est æstimabile, pecunia uocatur. Et confirmatur de consanguinitate, timore, precibus, quia si ista essent simoniaca, omnis acceptio personarum, imò omnis inordinata distributio esset simoniaca, quia semper mouetur ex aliquo motiuo, non spirituali: & certum est, quòd Episcopus in tali casu non gratis dat, & ministri uolunt cum simonia donum Dei pecunia, id est, pecunia æstimabili possidere. ¶ Secunda conclusio, Si non adsit pactum expressum, uel tacitum, non puto incurrere pœnam iuris, neque esse obnoxium restitutioni, sed esset simonia mentalis, quia releuatur à restitutione. unde in capitulo mandato. extra. de simonia, non condemnatur. Nescio tamen an excusatur à pœna iuris & restitutione, quando inter alias conditiones prælatus hoc etiam addit familiari futuro, habens intentionem prouidendi, Dabo tibi in beneficiis usq; ad centum ducatos, uel dabo tibi salarium quinquaginta aureorum, quousque dedero tibi beneficium centum aureorum, ita quòd alia ratione alius nõ iret in obsequium & famulatum Episcopi. hæc inquam uidentur malè sonantia, & certè periculosa: quia certè si talis Episcopus illis uerbis alliceret, quanquam donaret equum, non excusaretur à simonia. ergo si petens salarium illa conditione inducit ad remittendum,

non

non uidentur excusari tales. ¶ Tertia conclusio, Præstare * obsequium ad consequendam beneuolentiam Pontificis, ut illa ratione possit consequi quis beneficium, quamuis credam esse illicitum, si tamẽ absit quodcunq; pactum, & obligatio, nõ est simoniacum, quia tale obsequium non interuenit per modum pretii. Et hoc intelligo, etiam si hac ratione releuetur Episcopus à salariis pecuniariis, & postea beneficium conferat: itaque postea conferat, tanquam ex beneuolentia, & nõ tanquam ex obligatione. Sicut etiam dare Episcopo munera ad consequendam beneuolentiam cum spe consequendi ecclesiastica beneficia cum tali beneuolentia, uel ex tali beneuolentia, turpe quidem & nepharium est, sed non simoniacum. Vtraq; conclusio uidetur ex mente Caiet. ubi suprà: dixi uerò, quòd est illicitum quærere hac ratione beneuolentiam: quia si uellet esse familiaris, ut cognosceret facultatem, & idoneitatem eius, uel quia Episcopus etiam cõuenienter dignitates non dabit, nisi familiari, non uidetur illicitum.

¶ Dictum est utcunq; de peccato simoniæ in genere. Nam determinare casum in particulari, esset conatus laboris immensi: quanquam ex potioribus, & ex quibus explicatio aliorum possit haberi, aliquid dicemus. Sed prius, quia dictum est, q̃ simonia ex aliqua parte dependet

ex iure positiuo, & maximè ex authoritate
38 summi Pontificis. ¶ Dubitatur utrum* summ' Pontifex possit esse simoniacus. Et uidetur q̃ nõ, quia saltem beneficiorũ & officiorum ecclesiasticorum ipse est dominus, sicut domini Iuristæ dicunt quòd potest conferre pro suo arbitrio, neq; tenetur dare gratis. Nam una ratio, quæ affertur contra simoniacos, est, quia uendunt quod suum non est, quæ ratio non procedit contra Papã. Duran. ubi s. dicit, quòd in quocunq; casu alius esse simoniacus, similiter summus Pontifex esset. Quem sequitur Pa-
S. Thom. lud. ubi suprà. & S. Tho. in 4. ubi suprà, quæst. 3. artic. 3. ad secundum, sine distinctione dicit, quòd opinio, quæ dicit Papam non posse esse simoniacum, esse erroneam, sed quòd potest
Sylues. esse simoniacus sicut alius homo. Syl. §. 4. post
Anto. de But. Anto. de Bu. & Hostiens. dicit, q̃ Papa potest
Hostiens. esse simoniacus in his, quæ de se sunt simoniaca. Ratio canonistarũ, & theologorũ tenẽtium illam opinionẽ, est, q̃ leges non obligãt legislatores, ff. de legi. uel principes. & 6. q. 3. c. cuncta. Panor. 1. de simonia, & Cardi. Respondeo
39 per cõclusiones. ¶ Prima conclusio, In* simonia quæ est iuris diuini, æquè uel grauius potest Papa esse simoniacus, sicut ali° homo. Hæc nota est, quia nõ est supra ius diuinũ. In his autẽ quæ nõ sunt uerè spiritualia, sed sunt annexa spiritualib° solùm iure humano, Papa posset ex

ratio

rationabili causa sine uitio simonię cõferre pro temporalibus. Hæc probata est suprà, quia nil habent spiritualitatis, ut officiũ hospitalitatis, uel procuratoris, ut suprà expositum est. Et idem uidetur de officio Sacristę, & fortè de sepultura, & de aliis huiusmodi, quæ profectò pauca sunt, & in illis quandocũq; alius esset simoniacus. Si Papa sine rationabili causa faciat contractum aliâs simoniacum, grauiter peccaret. Hæc probatur, quia ut Sanct. Tho. probat 12.q.96.art.5. princeps est solutus suis legibus quo ad uim coercitiuam, sed non quo ad uim directiuam, & est subditus legi, ex æquitate naturali, ut habetur, extra. de constitutione, c. cùm omnes. Quisquis ius in altero statuit, ipsi eodem iure uti debet, ut Sapiẽtis dicit authoritas, Patere legem, quam ipse tuleris. Atque etiam improperantur, qui dicunt, & non faciunt, quia aliis onera grauia imponunt. & ipsi nec digito uolunt ea mouere, ut dicitur Matt. 25. Vnde, inquit Sanct. Tho. quãtum ad indicium princeps non est solutus à lege. & dixi grauiter peccare: quia fortasse neque à mortali excusatur, & quia uendit non sua, & ratione scandali, & ratione iniuriæ, quam aliis facit, cogendo ad ius, quod ipse tenere non uult. Et idem iudicium de omnibus aliis, quæ sunt iuris positiui. Vnde qui sine causa rationabili petunt dispensationes à Pontifice, dato quòd adepti

S. Thom.

Matth. 25

S. Thom.

adepti sint dispensationem, fortè excusantur, non tamen excusantur malè petentes, & quia Pontificem inducunt ad peccandum, quamuis Doctores dicant, quòd circa ea, quæ sunt iuris positiui, Papa posset peccare alio peccato, scilicet acceptione personarum, uel auaritiæ, non autem simoniæ. Videtur tamen, quòd illud sit peccatum simoniæ. Nam sicut peccaret peccatum intemperantiæ, si sine rationabili causa non ieiunaret, aut duceret uxorem, quæ sunt de iure positiuo. licet huiusmodi propositiones teneat glossa in cap. ex parte. Antonius de Butr. & Ioan. de Imola, & Cardin. in c. 1. de simonia. Vnde est corollarium, Eodem modo potest Papa dispensare rationabili causa cum aliis in his quæ sunt simoniaca iure positiuo, & circa spiritualia, unde posset dare facultatem cõmutandi sine noua licentia. ¶ Sed ex primo dubio de obsequio oritur dubium, Vtrum
40 * hoc ipsum, scilicet sperare beneficium spirituale ex officio temporali, sit simoniacum. Ad hoc respondent Doctores, quòd sperare principaliter est simoniacũ, sed sperare minus principaliter, non est simoniacum. Sed parum expedit, quòd sit principaliter, uel minus principaliter. & ideo melius est ut distinguatur, mediatè, uel immediatè: quia si immediatè per obsequiũ uult habere beneficiũ, simoniacum est. Si autẽ uult consequi beneuolentiã, ex qua

possit

posit habere beneficium, nō est simoniacum.
42 ¶ Dubitatur, An *promittere spiritualia, sit simonia. Dico, quòd nō, licet sit malè factum. sed circa hanc disputationem de simonia iuris diuini potissima difficultas est, quæ sunt illa, in quibus est spirituale de iure diuino, & quæ in quibus de iure positiuo. Vt inde intelligatur in quibus Papa potest dispensare, aut non, Et in primis est controuersia de beneficiis ecclesiasticis, an sint spiritualia ex sua natura, an solum de iure positiuo, & per consequens an uendi possint sine uitio simoniæ. ¶ De qua quæstione sunt conclusiones. Prima cōclusio,
42 *In beneficiis uniuersaliter simonia est de iure positiuo, & per consequēs Papa potest uendere sine rationabili causa, & sine uitio simoniæ, uel ex rationabili causa, & sine peccato. Hæc glossæ in.c.ex parte. de officio delegati, & Antonii de Butr. & Imol. & Cardin. c.1. de simonia. Pro ista opinione arguitur, Quia in omni beneficio sunt simul spirituale, & temporale, ubicunque hæc duo inueniuntur, potest uendi ratione temporalis, dum modo non pluris uendatur, ut patet de calice, uestibus, sacris. ergo præbenda, quæ habet reditus, potest uendi secundum iustam æstimationem temporalis reditus, dum modo gratis detur quod spirituale est in ipso beneficio. Et cofirmatur. Quia quod hoc temporale sit annexum huic spirituali,

tuali, ſolum eſt de iure poſitiuo. ergo Papa poterit uendere, ac ſi non eſſet annexum, imò uſque ad Vrbanum primum Eccleſia dicitur habuiſſe reditus. Præterea probatum eſt ſpirituale eſſe annexum temporali, & hoc non obſtante, illud temporale poteſt uendi, ut patet extra. in c. ſeruire, & ex cap. ex literis. ergo ſimili ratione temporale adiunctum ſpirituali, in præbenda uendi poterit adiunctum cum ſpirituali. Verum hæc argumenta ſolum uidentur procedere de ſimplici præbenda, ut canonicatu, aut patrimonio, in quibus nil uidetur ſpiritualis propriè, cùm neq; habeant claues, neq; adminiſtrationem ſacramẽtorum. ¶ Secunda opinio ſequitur aliud extremum, q̃ omnis ſimonia in beneficio eccleſiaſtico eſt prohibita iure diuino, & per conſequens uendi non poteſt ſine uitio ſimoniæ. Hæc eſt opinio theologorum, de qua ſtatim plura. ¶ Tertia opinio ſequitur uiam mediatam, ſcilicet quòd in beneficiis habentibus adminiſtrationem ordinis, uel executionem clauium, ſimonia eſt de iure diuino, & per conſequens Papa non eximitur ab illa, neque alium eximere poteſt. In aliis autem non habentibus talem adminiſtrationem, aut executionem, ſimonia ſolũ eſt de iure poſitiuo, & ſic Papa poterit illa uendere ſine uitio ſimoniæ, aliâs flagitiosè peccat. ut de canonicatu primo modo,

&

& si qua sunt alia similia. Hæc est Panormit. cap.1. de simonia, & in receptione. capit.ultimo, de simonia. ¶ De hac quæstione sit prima conclusio contra Panormi & Hostiensem,
43 Non *minus est simonia uendere canonicatum simplicem, quàm beneficium cum cura animarum. Probatur, Nam si uenditur officium, ita est spirituale, sicut aliud: si autem temporale, non est magis temporale reditus simplicis præbendæ, quàm beneficii habentis curam animarum. ergo par ratio est de utroque. Antecedens autem pro prima parte probatur, in qua est difficultas, quia clericatus est res spiritualis: quia quamuis sit ex institutione Ecclesiæ, nihil aliud est, quàm adeptio ad administrandum populo, & sacrificiis diuinis. Et Sanct. Thom. 2.2. quæst. 100. articulo 4. ponit clericatum inter spiritualia, præbenda autem datur clerico, quia clericus est primo ratione officii clericalis, & ex illo habet ius capiendi fructus præbendæ, quod etiam ius non potest esse, nisi spirituale, cùm fundetur in officio clericali, ratione enim illius officii debetur illi sustentatio à populo de iure diuino, iuxta illud 1. ad Corinth. 9. Qui altari seruit, de altari uiuere debet: unde sequitur quòd tam spirituale est officium clericale, & ius recipiendi fructus in simplici præbenda, sicut in episcopatu: & sic nulla uidetur

detur differentia inter beneficium ſimplex, & cum cura animarum. Præterea, ita eſt de iure poſitiuo ſubdiaconatus, ſicut ſimplex clericatus: ergo ſi propter hoc licet uendere præbendas annexas clericatui ſimplici, licet uendere præbendas ſubdiaconatus, ſi quæ ſunt, ut ſi eſſet præbenda aſsignata ſubdiacono pro officio ſuo, quod habet. ¶ Secunda conclu-
44 ſio, Papa non poteſt uendere ſine uicio ſimoniæ ex quacunque cauſa quodcunque beneficium eccleſiaſticum. Probatur, quia in beneficio non reperiuntur niſi tria, officium, ius recipiendi, & ipſi fructus. Papa autem non poteſt dare ſecundum, niſi per primum, quia non competit ius recipiendi, ut dictum eſt, niſi ratione officii: ſed tam primum quàm ſecundum eſt ſpirituale bonum. ergo Papa non poteſt illa uendere. Hanc habet Palud. 4. diſtinct. 25. & Armacha. libro decimo, capitulo 16. & Adrian. quotlib. 9. & Caieta. opuſculo proprio de Simonia: qui hoc modo arguunt, Magis ſpirituale eſt actus eligendi Epiſcopum, qui tamen ſpectat ad canonicos: & præterea, quia non eſt minus ſpirituale officium Canonici quamuis ſit de iure poſitiuo, quàm ſi eſſet de iure diuino, ſicut non eſt minus ſpirituale officiũ ſubdiaconatus de iure poſitiuo, quàm ſacerdotii de iure diuino, ſed ſi canonicatus eſſet de iure diuino, uendi non poſſet.

Palud. Armach. Adrian. Caietan.

posset. ergo neque & nunc Præterea, quia in canonicatu tria inueniuntur (ut dictum est) clericatus, siue officium, ius recipiēdi fructus, & ipsi fructus: quæro utrum canonicus habuit officium gratis, uel pretio. si secundum, est simonia. Quæro & de secundo, scilicet de iure recipiendi fructus. Aut habetur gratis, uel pretio. si secundum, est simonia, quia ut probatum est, etiam est ius spirituale, quia ex ratione officii spiritualis, sicut etiam ius decimarum in nouo curatu est spirituale. si autem papa hoc gratis dedit, iste iam tenet titulum, & dominium præbendæ, & hoc sufficit ad recipiendum fructus, neque est ibi aliud, quod papa possit uendere. Vnde est implicatio, quòd papa gratis det, quod est spirituale in præbenda, & uendat quidem temporale. & in hoc consistit ratio huius simoniæ. Et confirmatur. Nam papa non habet maiorem titulum ad fructus præbendarum, quàm ecclesia. sed ecclesia non habet nisi ius spirituale, scilicet ratione administrationis spiritualis. ergo neque papa: ergo nihil habet, quod possit uendere. Et similis calumnia uidetur esse, si quis diceret, Ego do tibi gratis titulum ac dominium ad fundum, sed uendo tibi fructus. si enim habeo ius ad fundum, fructus sunt mei. Præte rea, si fructus ctus essent annexi canonicatui, iure diui-

o no, sicut

no, ſicut in ueteri teſtamento, non poſſent uendi. ergo neque nunc, quia non minus eſt officium ſpirituale clericorum, quàm erat Leuitarum. Panormita. arguit pro ea parte, quę eſt in hac ſententia. Nam in capi. ex diligenti de ſimonia dicitur, quòd præſtatio iuramenti pro beneficio acquirendo, diuinis, atque humanis legibus contraria eſſe dignoſcitur. ergo papa non eximitur ab illo iure. Præterea, ſi papa poteſt facere. ergo dare facultatem aliis poteſt: quod omnino eſſet abſurdiſsimum. ſed totus iſte error emanauit, quòd iſti crediderunt, quòd illa, quæ ſunt iuris poſitiui, non ſunt uerè ſpiritualia, in quo uehementer erratum eſt. ſicut enim ſpiritualis conſecratio eccleſiæ, aut conſecratio ſacerdotis, benedictio aquæ, abſolutio ſacramentalis, non ſunt temporalia, ſed ſpiritualia. ita licet beneficium canonicorum ſit de iure poſitiuo, eſt ita ſpirituale, ſicut officium ſacerdotis: quod contradicere eſt erroneum. Papa enim non poteſt uendere ſpiritualia bona beneficiorum ſine titulo ſpirituali, quia non eſt dominus, ut ait Sanctus Thom. 2. 2. quæſt. 100. Et probat Palud. Nam fundatores non reliquerunt bona illa papæ, ſed miniſtris ſolùm, neque ſpectat aliud ad papam, quàm prouiſio miniſtrorum. Hæc uidetur contra Adria.

ut

ut infra dicetur. si tamen papa sine titulo spirituali de facto uenderet, non esset simonia, similiter ac si rex uenderet illas, neque uenditio teneret. Non negamus tamen, quin papa pro communi utilitate ecclesiæ posset uendere, uel aliter transferre fructus, uel partem illorum, quia etiam de bonis clericorum potest disponere tanquam administrator. Ad argumenta in contrarium. Ad primum respondetur primò, quòd differentia est clara, quia in calice, aut in argento potest aliquis habere ius ad illud temporale, & non ratione spiritualis: non ita autem est in beneficio, ubi ad temporale non potest esse ius, nisi spirituale (ut declaratum est) Ad confirmationē negatur consequentia: quia licet sit annexum de iure positiuo, tamen annexum est debitum, sola ratione spiritualis. Ad aliud de iure patronatus respondetur, quòd differentia est clara, quia in patronatu spirituali sequitur ipsum temporale. econtrario autem in beneficio temporali sequitur spirituale. & hæc de beneficiis, & officiis, in quibus est aliquid spirituale. Si quæ tamen sunt, quæ re uera, ut suprà dictum est, nullum continent officium spirituale, de quibus fit mentio in dicto capit. Saluator. non negamus, quin uendi possint sine uitio simoniæ, ut officium, & præbenda in hospitali, imo

& cathedra in uniuersitate, & alia similia: quia ista ad nihil spirituale ordinantur, & laicis
45 possunt concedi. Ex quo sequitur, quòd *omnes præbendæ militares, quas commendas uocant, possunt authoritate papæ uendi pro temporali sine uitio simoniæ. Nam licet sint annexæ religioni, & religiosis, non tamen ratione officii spiritualis, sed pro officio militari. Ex quo iterum sequitur, quòd
46 *neque ex authoritate papæ possunt commutare commendam pro beneficio. Patet, quia commenda est merè temporalis, sicut stipendium ducis in bello. Adria. in quotlib. 9. ad quintum principale, dicit, quòd opinio, quę dicit, quòd papa in uenditione beneficiorum, non est simoniacus, ueriſsima est, quando intendit uendere ius recipiendi fructus, non mediatè aliquo officio spirituali. Contraria tamen opinio habet uerum, quando intendit uendere mediante aliquo officio spirituali. Et inquit, quòd papa hoc potest facere, quòd non mediante aliquo officio spirituali possit uendere præbendam, quia iura non possunt eum impedire. secus de prælatis inferiobus, & sic concedit, quòd authoritate papæ potest aliquis commutare beneficium pro officio temporali, scilicet notariatus, quod intelligitur, quòd papa dat illis præbendam temporalem pro officio illo, & non ius

spiri

ſpirituale. Sed probatur quòd hoc ſit falſiſsimum. Nam quæro ſi papa uendidit Petro ius recipiendi fructus præbendæ, & non mediante aliquo iure ſpirituali, quare canonicus tenetur dicere officium diuinum, uel intereſſe in choro, quia papa non poteſt obligare ad hoc ſine ſtipendio. Præterea, talis non faceret fructus ſuos, ſi non diceret officiũ diuinũ, ut decretum eſt in concilio Lateran. ſub Leone decimo. ergo fructus debentur ratione officii ſpiritualis. ergo papa non dedit niſi illo titulo. Sequitur quæſtio particularis de pen-
47 ſionibus. dubium, An * circa illud contingat ſimonia, ſi permutentur cum bonis temporalibus, ut cũ redemptione penſionum. Et uidetur quod ſic, quia eſt beneficium eccleſiaſticum. ergo circa illud poteſt cadere ſimonia. Præterea, uel illud eſt temporale, uel ſpirituale: ſi ſpirituale, ergo non habet æſtimari, aut redimi pecunia. ſi temporale, ergo non licet commutare beneficium pro penſione. Cuius tamen oppoſitum uſus obtinuit. Caietanus *Caiet.* in ſumma in uerbo de ſimonia, reſpondet, quòd ius annuæ penſionis eſt merè temporale. Quod probatur ex duobus. Primum, quia ſolos fructus beneficii eccleſiaſtici reſpuit. nam penſio non eſt beneficium ſpirituale, propriè loquendo, ſed totum beneficium eſt illius, qui penſionem ſoluit. & ſecundò,

.Thom. quia solet laicis concedi, sicut ait S. Thom. 2.2.quæst.100.articu.4.ad tertium, quòd cùm papa concedit decimas, non concedit ius secundùm quod talis pensio potest licitè redimi certa summa pecuniæ. Maior in 4.distin. 25.ad quartum dicit, quòd pensio non est aliquid temporale, sed est beneficium. sed glossa in c.cum inde constitutione. uidetur dicere, quòd ubi præbendæ non est annexum spirituale, uidetur quod sit aliud temporale, & uendi, & redimi posse. Adria. in illo quotlib.9.ad quintũ, publicè admittit, quòd pensio est tẽporalis, & per consequens quòd nullo modo authoritate partium potest cõmutari beneficium pro pẽsione. Sed authoritate papæ potest, imo posset fieri pro nuda pecunia. Nam secundùm eius imaginationem, illa pensio datur pro prebenda temporalis beneficii, & nullo modo pro aliquo iure spirituali, & quia nullus inferior papa potest conferre temporale beneficium nisi mediante spirituali, ideo neque dominus beneficii, neque episcopus, potest dare beneficiũ pro pẽsione. Certè res uidetur dubia & fortasse ista cõmutatio pensionum non est ita tuta, sicut omnibus uidetur. sed utcunque respondeo per conclusiones. Prima cõclusio, Pẽsio* quæ assignatur alicui super beneficium alterius, ratione alicuius ministeri spiritualis, licita est & honesta, sicut

Maior.

Adria.

48

ratione

ratione adiutorii & subsidii: ut cùm episcopo titulari assignatur certa pensio super episcopatum alterius, ut adiuuet ad exercendum episcopalia. Ista conclusio est nota. nam datur stipendium iustum pro administratione spiritualium. Et eodē modo posset assignari presbytero ut ferret subsidium pastori parocho seni, aut aliàs inualido, ad administrandum sacramenta. unde sequitur quòd talis pensio redimi nō potest pecunia, non solùm transactione partium, sed neque authoritate papę, ut suprà probatum est, quia est uerum beneficium. Secunda conclusio, Habens* beneficium, cui per aliquod tempus ministrauit, licitè potest authoritate papæ cedere beneficio, retenta certa pensione super beneficium, & sine quocunque onerali officio spirituali. Hæc probatur, quia quandiu inseruiuit beneficio, honestum est, ut pro præterito ministerio, etiam in futurū consulatur, & propitietur ei, & detur sustentatio, si postea nō potest commode ministrare. Adhuc est uerum de illo, Dignus est operarius mercede sua. Eadem ratione uidetur, quòd talis pensio non sit uendibilis: quia ius ad illam est mediante officio spirituali, neque est minus spirituale, quàm si sit pro ministerio futuro. Sed etiam potest dici contrà, quia est merè temporalis, nam datur tanquam alimentum, & non remanet obligatus

gatus ad aliquod officium ſpirituale, unde eſt
50 tertia concluſio. Papa * non poteſt dare alicui penſionem aliquam ſuper beneficio eccleſiaſtico, qui nullum miniſterium neque temporale, neque ſpirituale conferat in eccleſia, uel alio pio titulo. Hæc probatur, quia papa non eſt dominus, ſed diſpenſator, & illud eſſet diſſipare. Præterea, nam in hoc faceret iniuriam populo, & miniſtris: populo quidem, quia cogeret ſoluere beneficium & ſtipendium nullo titulo debitum, cùm tamen nullum aliud titulum poſsit habere eccleſia ad bona laicorum, niſi quòd quia dominus ordinauit, quòd qui euangelio ſeruiunt, de
1. Corin. 9. euangelio uiuant. 1. ad Corin. 9. quod fieret, ſi decimas miniſtris eccleſiæ debitas pro miniſterio aliis otioſis diſtribueret. Diço autem, ſine miniſterio, uel alio pio titulo, ſed ſolùm pro ſuo arbitrio. Confirmatur, Nam non eſt dubitandum, quin papa poſsit errare, & peccare in diſtributione beneficiorum eccleſiaſticorum: ſed iſte uidetur error manifeſtus, ut bona eccleſiaſtica, quæ ſunt miniſtrorum, & pauperum, aliis diſtribuantur nullo titulo. ergo tales diſtributiones ſunt iniuſtæ non minus, quàm ſi quis pro quotidiano ſacrificio legaret perpetuos reditus, atque papa illos aſsignaret alicui, qui neque ſacrificaret, neque aliud pium officium conferret.

Quarta

11 Quarta cõclusio, Non* uidetur irrationabile, ut papa det clerico pensionem aliquam in alieno beneficio, solùm quia clericus est. Probatur, quia si clerici certo numero, & nõ ita sine discrimine, & passim ordinarentur, rationabile esset, ut ecclesia sustẽtaret ministros suos de quorum numero sunt omnes clerici. maximè quia aliâs non haberent unde honestè uiuerent, sed talis pensio etiã uidetur quòd esset uerum Beneficium, quia titulus esset uerè spiritualis scilicet ratione ministerii, quia talis clericus uel impendit, uel adeptus est impẽdere, & per consequens non uidetur quòd talis pẽsio possit uendi. Quinta conclusio, Vtcunque
12 *iusto, siue iniusto titulo papa alicui concedat pẽsionem sine obligatione ad aliquod ministeriũ spirituale, neque ratione alicuius tituli spiritualis, talis pensio est merè temporalis, quia secundùm se est tẽporalis, neque est annexa alicui spirituali, postquam ius ad illam non est spirituale. ex quo sequitur, quòd uendere, aut redimere talem pensionem, non est simoniacum pretio quolibet temporali. Sexta
13 conclusio, Si quis* contulit, aut permutauit beneficium pro pẽsione, etiam authoritate papæ nullo modo possum intelligere quomodo talis pensio possit uendi, aut redimi pecunia, neque sufficio soluere argumentum superius factum. Aut enim talis pẽsio est spiritualis, aut

temporalis. Si ſpiritualis, redimi non poteſt: ſi temporalis, permutari cùm beneficio non poteſt. ergo talis penſio non poteſt cadere ſub emptione aut redemptione. Vnde commentitium puto quod dicit Adrianus, quòd authoritate papæ poſsit permutari penſio cum beneficii præbenda, ſecludendo ipſum ſpirituale, quia (ut ſuprà probatum eſt) papa non poteſt dare illud temporale, niſi propter illud ſpirituale. Imò neque dat, quia nunquam dat ius ad illud temporale, niſi ratione tituli & officii ſpiritualis. Dico tẽporale, quod eſt in beneficio, unde cõmutari pro penſione non poteſt. Confirmatur. nam ſi quis obtinuit beneficiũ quia dedit penſionem, ſi poſtea nõ dicat officium canonicum, non facit fructus ſuos, ut determinatum eſt in concilio Lateranenſi, ſub Leone decimo. ergo ſignum eſt, quòd talis non habet titulum ad fructus beneficii, niſi ratione officii ſpiritualis. Fictitium ergo eſt & ſophiſma, quòd ille permutauerit quod temporale erat in beneficio pro penſione. Sed eodem modo permutauit ſicut pro alio beneficio. neque de hoc eſt dubium. Itaque non uideo quomodo alterum cum altero poſsit ſtare, ut beneficium mutetur pro penſione, & iterum penſio pro pecunia. Et Adria. bene conſequẽter concedit, q; ſicut à principio eſt facta permutatio beneficii cũ penſione, poterit fieri cũ pecunia

auth

authoritate pape. Confir. iudicio meo uehemẽ ter, qa quod permutatur ab initio, nõ poterit fieri cũ pacto redẽptionis pensionis, ut etiã fa tetur D. Caiet. Neque quisquã alius negat. Ex hoc sic arguitur, Vel in illa permutatione permutatur tẽporale uel spirituale. Si spirituale, ergo permutatio pro pensione temporali est simoniaca. Si tẽporale, ut dicit Adria. ergo neq; pactum de redẽptione erit simoniacũ, cùm nihil spirituale interueniat. Septima conclusio, Quãcunq; *pensionẽ papa imponat, uel ex officio suo, uel ad supplicationẽ alterius, quę nõ sit causa permutationis, & sine obligatione ad aliquod officium uel ministeriũ spirituale: omnis, in quã, talis uendi potest & redimi sine simonia. Ista patet ex superioribus, quia talis pẽsio est purè temporalis. Diximus autem sine simonia, quia nõ dubito, quin talis negotiatio sit uitiosa, & præstãs magnas occasiões ad fraudes simoniacas. Vnde est corollariũ, Habentes tales pensiones temporales nõ tenentur ad officium canonicũ. Hoc corollariũ uidetur clarum. nã si pensio est tẽporalis, nõ est beneficiũ ecclesiasticũ. Et hoc ꝑfectò in hac materia absurdũ est, ut nõ possimus aliter istos pensionarios absoluere à uitio simonię, nisi excusando eos à quocũq; officio & ministerio ecclesiastico. Ex quo iterũ seq̃t, q; nullo iusto ti. possidẽt tales pẽsiones, atq; adeo si istę redẽptiones pẽsionum

sionum non redigerent nos ad istas angustias, non pateremur perplexitatem, sed simpliciter diceremus pensiones esse uera beneficia, quæ dantur clericis ratione officii: & sic tenentur ad officium canonicũ, quod multo honestius esset in põtifice, & possessoribus pensionum.

SECVNDA PARS RELECTIONIS
De pœna simoniacorum.

SVMMA.

1 *Accipiens aliquid temporale ratione contractus simoniaci, an teneatur restituere quicquid simoniacè accepit.*

2 *Simoniacè consecutus beneficium ecclesiasticum, quòd nihil iuris acquirat in illo, neque faciat fructus suos, sed teneatur resignare.*

3 *Simoniacus an de iure naturali & diuino teneatur restituere, an de solo positiuo.*

4 *Restitutio pecuniæ acquisitæ per simoniam, quòd nõ sit de iure diuino.*

5 *Beneficium simoniacè acquisitum, an sit restitutioni obnoxium de iure diuino.*

6 *Pecunia ex contractu simoniaco acquisita cui debeat restitui.*

7 *Restitutionem qui bona fide fecit dando pauperibus, uel illi, à quo accepit, an teneat factum.*

8 *Beneficium adeptus, qui quidẽ non dederat pecuniam episcopo, sed alius pro eo, ipso ignorante, an teneatur restituere.*

9 *Contrahentes cum Papa, an sint simoniaci, aut incurrant, pœnam iuris.*

10 *Accipere aliquid pro sepultura, an sit licitum, & quando.*

quando.

11 *Sepulturæ ius priuatum an posit quis obtinere, & quomodo.*

12 *Religionem si quis ingrediatur, an ille, qui eum recipit, posit pro ingressu aliquid recipere.*

13 *Legans monasterio perpetuò mille aureos ut faciat sacrum perpetuò: hæres dicit, Ego dabo beneficiũ simplex huius missæ, & dimittatis legatum, an hoc sit licitum, & fieri posit sine simonia.*

14 *Mediatores, qui pro alijs contractus constituũt simoniacos, quas incurrant pœnas.*

15 *Dare pecuniam, ut ab officio non deponatur, an sit simoniacum.*

16 *Simoniaci pœna quæ sit.*

17 *Temporale esto, quòd non posit aliquis recipere pro spiritualibus titulo emptionis & uenditionis, an aliquo titulo spirituali possint esse media ad aliquod tẽporale.*

18 *Titulus triplex recipiendi temporalia mediantibus spiritualibus describitur.*

19 *Clerico utrum liceat suas locare operas in administratione spiritualium.*

20 *Locare operas in administratione spiritualium, quòd non plus liceat, quàm ipsa spiritualia, neque licet aliquid recipere pro labore spirituali magis, quàm pro ipso spirituali.*

QVIA pœna simoniacorum pendet ex restitutione, & hęc est potissima pœna, ideo solùm tractabo de restitutionis pœna: quia in hac sola uidetur magna difficultas consistere. Vnde est prima quęstio, An ille, qui aliquid

aliquid temporale accepit, ratione contractus simoniaci, teneatur restituere quicquid simoniacè accepit. Ad hanc quæstionē respondent omnes doctores, quòd sic, & habent eam tanquam certam & indubitatā. & probant ex cap. si quis episcopus. 1. quęst. 1. ubi tamen non arguitur de hac restitutione, sed solùm cauetur, q̄ in ordinato per simoniam non proficiat talis promotio, & de episcopo ordinātē dicitur, quòd proprii gradus periculo subiacebit. Sed argumentantur (ut solēt) ex uno ad aliud. Plus tamen uidetur facere caput, mandato. de simonia. ubi habetur, q̄ simoniaci mentales nō tenentur ad restitutionem, neq; temporalium, neque spiritualium. Ex quo arguitur, quòd si esset simonia exterior, tenerētur ad restitutio
2 nem. Prima conclusio, Quicūque* simoniacè consequutus est ecclesiasticum beneficium, nil iuris acquirit in illo, neque facit fructus suos, sed tenetur resignare. Hæc expressè habetur in iure, c. ea quę. 1. qu. 3. & c. ex multis. & 1. q. 1. c. si quis. & c. presbyter. Et sunt extrauagātes apertè hoc habētes Martini quinti, Eugenii quarti, Pauli secūdi & Xixti quarti. Sed dubitatur,
3 an* de iure naturali & diuino teneantur restituere, an de solo positiuo. Et primò de temporali uidetur, quòd sit de iure diuino obnoxium restitutioni. nam ita est prohibitum de iure diuino recipere aliquid titulo simoniaco,

co, sicut usurario. sed usurarius tenetur restituere iure diuino & naturali quicquid acquisiuit ex usuris: ergo & simoniacus. Est etiam probatio sancti Thomæ, qui aliquid accipit contra uoluntatem domini, pro re, quam tenebatur dare gratis, tenetur ad restitutionem. Sed ita est in præsenti. ergo. Cõfirmatur, quia si emptor tenetur restituere beneficium sine conditione, ergo uendens tenetur restituere pecuniam. Præterea, si hoc solùm est de iure positiuo, cùm hoc sit pœnale, sequitur quòd simoniacus non tenebitur restituere ante condemnationem. Consequens est contra omnes doctores. Præterea, quia non uidetur cautum in iure, nisi de restitutione in ordine, uel beneficio, uel pro ingressu religionis. Si ergo ita restitutio est solùm de iure positiuo, uidetur qui recipit pecuniam pro administratione sacramentorum, aut aliis actibus spiritualibus, aut celebratione missæ simoniacè, non tenebitur restituere. cùm tamen ista sunt non minùs spiritualia, & per pactum non minus enorme. ergo. Præterea arguitur instanter. Nam non dicitur contractus, ubi alterum pro altero commutatur, si una pars iure non dat quod paciscitur. Vt si quis pro dono recipit pecuniã, si reuera non dat donum, tenetur restituere pecuniam. Et si emo equum à non domino, tenetur mihi restituere

tuere pecuniam, & ego equum. Ita est in proposito, quòd uendens beneficium, non facit emptorem dominum beneficii, neque dat ei titulum, sed emptor tenetur dimittere, ergo uéditor restituere, secluso omni iure positiuo. In oppositum est, quia apud Deum ita est simoniacus mentalis, sicut simoniacus exterior. sed mentalis non tenetur restituere, sed sufficit ei sola penitentia, ut habetur in d.c. mandato. de simonia. ergo non est de iure diuino. Ad quęstionem respondent Innocen. & Hostiēs. in c. tua nos. de simonia. quòd in simonia, quę est de iure diuino, est obligatio ad restitutionē, etiam de iure diuino. Et ad c. mandato. respondent, quòd intelligitur de simonia, quę est solùm de iure positiuo. Sed contra est cap. Loquitur enim de simonia, que est in ingressu religionis, quæ est de iure diuino. Neque ualet dicere, ut alius respondet, quòd in c. illo intelligitur non de pecunia accepta pro ingressu religionis, sed pro loco in ordine monachorū. Sed hoc est diuinare, cùm c. absolutè loquatur de loco abolito in monasterio, & propterea fortasse post ingressum religionis non esset simoniacum dare pro certo loco inter monachos pecuniam, etiam si fuisset exterior compositio, quod manifestè esset contra caput in eadem sententia. Cùm Innocētio & Hostien. est Maior 4. dist. 25. q. 5. Generale est, inquit,

& de

& de iure, notare, q̃ homo non adquirat dominium per actum, quãdo tenetur gratis. Imò addit, quòd neque papa potest dispensare ut retineatur pecunia. Et in hac sententia uidetur esse Adria. quotlib. 9. quòd tenetur de iure diuino simoniacus restituere. Sed cõtra istam opinionẽ statuo conclusionem. ¶ Restitutio *pecunię acquisitæ per simoniã non est de iure diuino. Hæc est Caie. 2.2. q. 100. ar. 6. & Syluest. uerbo simonia. §. 20. & pariter c. mãdato. Ex quo uidetur sufficienter probari. arguitur sic, Si illa restitutio esset de iure diuino, & naturali, deberet fieri illi, à quo ablata est pecunia, ut in usura, & in aliis rapinis. consequens est contra omnes doctores, & fortè contra ueritatem. Confirmatur, Nam si do Petro 20. aureos ut interueniat cum usurario, ut det mihi mille aureos ad usuram, Petrus non restitueret, & tamẽ si darem ut interueniat apud episcopum, ut impetraret beneficium, teneretur. ergo non est idẽ iudicium de utroque. Prętera non minus obligatur ad restitutionem simoniacus spiritualis acquisiti, quàm tẽporalis. sed hoc non est de iure diuino, ut statim apertè probabitur: ergo neque reliquorum. ¶ Sed argumenta in contrariũ nõ ita facilè soluuntur. Ad primũ Panor. c. mãdato conat mul tas differentias ponere inter usurarium mentalem, & simoniacũ, sed omnes sunt inefficaces.

p uide

uide illum, quia tandem uidetur consentire cum Innocen. & Hostien. Caie. ponit. differentiam, quia in simonia est uoluntaria transiatio, quamuis iniqua, sed in usura non. sed fortasse differẽtia est, quòd in usura efficitur iniuria illi, à quo exigitur usura, & ideo ei restituẽdum est: sed in simonia non fit iniuria illi, qui libenter dedit pecuniam, sed iniuria facta est rebus sacris, sicut si in loco sacro aliquis haberet rem cum propria uxore, non faceret illi iniuriam, sed tẽplo. Ita in proposito dicit, quòd nulla fit iniuria illi, à quo pecunia accepta est, sed rebus spiritualibus. & ideo nulla restitutio est facienda illi, qui dedit pecuniam de iure diuino. Ad secundum patet per idem. Illud enim est, ut si fuit cũ iniuria. unde fortasse ita esset, si postquam habet aliquis ius ad beneficium, ut per electionem, aut præsentationem patroni, episcopus exigeret ab illo pecuniam, tunc enim de iure diuino tenetur episcopus illi restituere. Ad tertium dico cum domino Caiet. & cõmuni opinione, quòd etiã ante condemnationẽ tenetur restituere. Probatur, quia ecclesia potuit illegitimare illũ contractũ, ita ut nõ transferretur illud dominiũ pecuniæ in simoniacũ. Sed hoc uidetur fecisse, quia fecit in illo quicquid potuit facere, in odiũ simoniacorũ. ergo creditur q̃ illegitimauerit cõtractum. Cõfirmatur apertè, quia ex solo statuto humano, ut

no,ut cõtinuò dicã,ſimoniacus nõ acquirit ti tulũ in beneficio,ſed tenetur reſignare etiã an te cõdẽnationẽ. ergo cùm nõ minus ſit abſurdũ & odioſum uendere quàm emere, uidetur etiam q̃ uenditor nõ acquirat dominiũ pretii quod accipit. Ad cõfirmationẽ patet per idem. nõ enim tenetur reſtituere niſi de iure poſitiuo. Ad quartum dico, q̃ forſan cõſequens eſt uerũ, quia nulla facta eſt pecuniã dãti iniuria, & ideo ſi non eſſet cautũ in iure, nõ cadit reſtitutio. Vel dicatur, q̃ cùm hoc ſit tam odioſum in iure, licet arguere ab uno ad aliud, & ſic ſi tenetur reſtituere in ordine uel beneficio, tenebitur etiã in aliis ſpiritualibus, & ita tenet Syl ueſt. §. 10. Ad ſuperiora reſpondetur q̃ in cõtractu ſimoniaco nõ fuit cõuẽtio, ut collator beneficii, aut renũtiator uerè det titulũ, ſed ſolũ q̃ faciat quod in ſe eſt de facto renuntiando, aut conferẽdo: & ſic nulla fit ei iniuria, niſi forte deciperet illũ, perſuadẽs, q̃ nõ acquireret titulũ, neq; teneretur ad reſtitutionẽ. Idẽ etiã in iure diuino, et primũ ſi ſtarem⁹ in iure diuino, etiã dãs pecuniã acqreret titulũ beneficii. Poteſt cõfirmari ſolutio primi argumẽti, quia ſimili peccato peccat dãs pecuniã pro beneficio ſicut recipiẽs: dãs autẽ nõ facit iniuriã ſibiipſi. ergo neq; recipiẽs facit iniuriã dãti, qa hoc peccatũ nõ cõſiſtit in iniuria perſonarũ cõtrahẽtiũ. Cõfirmatur, Nã non uidet imaginabile, q̃

in eodem contractu uterque contrahentiũ patiatur iniuriam, in cõtractu autem simoniaco si accipiens pecuniã facit iniuriã: ergo accipiẽs beneficiũ. Quia nõ plus licet extorquere beneficiũ pro pecunia, quàm econtra pecuniã pro beneficio. Prẽterea, etiã si Petrus deberet 100. aureos episcopo, & episcopus nõ posset aliter recuperare illos nisi cõferendo beneficiũ, & ea ratione conferret, nihilominus esset simoniacus (ut suppono, & determinat à doctoribus) & ea ratione nõ facit iniuriã Petro. tunc ergo non cõsistit simonia in iniuria partiũ. & hoc expresse dicit S. Tho. & Sylvest. §. 17. cõtra Angelũ. ¶ An* beneficiũ simoniacè acquisitũ est obnoxium restitutioni de iure diuino? Dico quòd nõ, sed de iure positiuo. Probatur eodẽ modo sicut de pecunia ex illo c. mandato. Si enim esset de iure diuino, monachus cõsequutus locũ in monasterio pro pecunia, teneretur relinquere monasteriũ, neque professio ualeret, cuius contrariũ bene habetur ex illo c. Prætera probat, quia summus põtifex electus simoniacè, acquirit totũ titulũ, neque tenetur resignare, ut patet extra de elect. c. licet. ubi Alex. ad uitãdũ schimata dicit in cõsilio generali, q electus à duab' partibus Cardinaliũ, sine ulla exceptione habeatur pro indubitato papa. Ex quo infert Maior, q neque exceptione simonię. & ita tenet glossa in c. si quis pecunia. 79. distin.

dist. sed cõtra 79. dist. c. si quis pecunia. Nicolaus papa dicit, Si quis pecunia, aut gratia humana fuerit apostolicę sedi introuocatus, non apostolicus, sed apostaticus habeatur, liceatque Cardinalibus, & aliis clericis Deũ timẽtibus, & laicis inuasorẽ illũ anathematizare. Respõdetur in eodẽ c. q. intelligit si fuit electus ab illis, qui nõ habebant potestatẽ eligẽdi. sed Maior dicit, q. glossa est cõtra text. ideo ipse dicit, quod illud ius est reuocatũ per nouũ ius c. licet. Sed notandũ, q. Iulius 2. anno Domini 1505. 19. Calend, Februarii edidit extrauagantẽ super electionẽ papæ simoniacã, q. nullũ habeat effectũ, quam fecit publicè affigi in ualuis Basilicæ beati Petri, & cãcellariæ, atque reuocare omnes constitutiones pontificũ in cõtrariũ, & nominatim illud c. licet. Vnde sequitur primo, quòd hodie non teneret electio simoniaca. Secundò, quòd hoc est de iure positiuo, quia nunquã papa dicit hoc esse de iure diuino, & reuocat cõstitutionẽ in cõtrariũ. Tertiò patet, quia ex c. licet. tenebat, & erat canonica papæ electio antequã reuocaret, & ita uidetur tenere glossa ibidẽ, quæ solã exceptionẽ hęresis dicit esse admittẽdã: quod tamẽ Maior ait adhuc nõ esse uerũ, sed esse pontificẽ, etiã si esset hæreticus. Sed cõtra hanc opinionẽ & cõmunẽ per cõmunẽ modum intelligẽdi, c. mãdato. uidetur urgere c. si quis 1. q. 1. ubi sic legitur,

Si quis neque ſanctis pollens moribus, uel ne que clero populoque uocatus, uel pulſatione coactus, imprudenter Chriſti ſacerdotium, iã quolibet facinore pollutus, iniuſto cordis amore, uel ſordidis precibus ore, ſine comitatu, ſiue manuali ſeruitio, ſiue fraudulento mu nuſculo, epiſcopalem ſeu ſacerdotalem, non lucro animarum, ſed inanis gloriæ auaritia ſul tus, dignitatem acceperit, & in uita ſua non ſpõte reliquerit, caſuque inſperata mors, pœnitentem non inuenerit, proculdubio in æter num peribit. Ex quo etiam probatur haberi, quòd etiam ſine peccato exteriori, ſed ſolùm numere dato, uel obſequio etiam, aut precibus cõſequutus epiſcopatum, tenetur reſigna re: quod eſt contra illud c. mandato. Reſpõderi poteſt q̃ hoc c. reuocatur per illud c. mandato. Sed contra, quia papa in illo c. 1. reſpondet conſultationi, neque uult concedere nouum eius. Adria. quotlibet 9. putat, ex iure diuino eſſe obnoxiũ reſtitutioni, quod ſimoniacè acquiſitum eſt, ſiue ſpirituale, ſiue temporale. Armach. lib. 10. c. 23. tenet adhuc latius, q̃ non ſolùm ſimoniacè, ſed ambitioſã hypocriſi perue uenerit quis ad ſacerdotium, quòd nullum titulum acquirit, & tenetur reſtituere. quia non intrat per oſtium, & per conſequens eſt fur, & latro. Henri. de Gand. quotlibet. 9. q. 26. aut 16. tenet quòd ſimoniacus tenetur iure diuino re

no restituere quicquid est consequutus. Et ad c. mãdato. dat illam glossam suprà positam, q̃ intelligitur nõ de receptione monachorum, sed de loco inter monachos. Maior dist. 25. q. 5. tenet, quòd est de iure positiuo, q̃ per simoniam non acquiratur titulus in beneficio. unde uidetur loqui, sicut prius dixerat uendentem teneri ad restitutionem temporalium. Panormi. in c. mandato. quia non placent ei differentiæ, quas ponunt doctores, inter simoniacum & usurarium, ponit alium intellectum illius c. ut intelligatur, non si quis principali intẽtione dederit aut receperit pecuniã pro ingressu monasterii. Sed secũda intẽtione, aliâs quod teneatur restituere. & hoc inquit est tutius. Sed in c. tua nos. de simonia, apertè dicit, q̃ simoniacus mẽtalis siue in simonia iuris diuini, siue positiui, non tenet restituere, & citat Io. An. in utroque c. Sed *cui debet fieri restitutio de pecunia? Respõdetur primo ex sentẽtia omniũ doctorũ, q̃ nõ debet fieri ei, à quo accepta est, qa nõ est illi facta iniuria, licet de hoc nõ adducãt doctores aliquẽ canonẽ id determinãtẽ, q̃ ego sciã. secũdò debet restitui ecclesiæ, in cuius iniuriã accepta est. Si uerò nõ est facta iniuria alicui ecclesiæ, dãda est pauperib⁹ uel ecclesię cathedrali, quę ex Sylues t. §. 20. cũ aliis colligere libebit. Tertiò uidet mihi, q̃ debet expẽdi, sicut aliæ pecuniæ, in opera pia ex

mandato episcopi. Vel (si hoc commodè non non posset) de uoluntate posidentis. Sed notandum, quòd si aliquis dederit pecuniam simoniacè, & nõ recipit beneficium, ita q̃ simonia non est consummata, pecunia est restituenda eidẽ, ut ait Caie. in sua Summa: quia de iure naturali, tenet restituere ei, à quo accepit, qa de eodem iure naturali est, ut non perdat sua, nisi recipiat illa, pro quibus illas dedit. Secũdò etiam notandum, q̃ si tenebatur episcopus isti dare distinctè beneficiũ, & exigit pecuniã, etiã stando in iure naturali, tenetur illi restituere, quia fecit illi iniuriã. sed fortasse ius positiuũ uoluit priuare episcopũ ipso facto, sicut & beneficio. ¶ Hæc dicta sunt pro cõmuni sententia doctorũ. Sed fortasse posset defendi, q̃ restitutio pecuniæ est faciẽda eidẽ etiam. & ratio est, quia licet stando in iure diuino non fiat ei iniuria, sed quia ratione iuris positiui non acquirit titulum ad illud, pro quo dedit pecuniam, consequenter uidetur dicendum, quòd debet etiam restitui illud, quod dedit. Sed ad hoc responderi potest, quòd ille iam nouit quòd nõ acquirebat ius in beneficio, & nihilominus uult dare pro illa translatione beneficii pecuniã, licet nõ sit de iure diuino cui debeat fieri restitutio, nõ uidet dubitandũ, quin debeat fieri collatori, ideſt talis debet addere in manus illius, ad quẽ spectat prouidere. At

de fru

de fructibus beneficii idem uidetur indicium, sicut si ex aliis causis non faceret fructus suos, & debet considerare ad quē spectāt fructus de iure, uel dare in fauorē ecclesię, cui facta est cō 7 tumelia, uel pauperibus, sicut de aliis pœnis fieri solet. ¶ Dubitat, An* si qs bona fide fecit restitutionē, dādo pauperibus, uel illi à quo accepit, teneat factū. Respōdetur q; sic, neque ampliùs tenebitur ad restitutionē. ¶ Dubitatur, 8 Si* adept⁹ quidē beneficiū nō dedit ipsi quidē pecuniam episcopo, sed alius pro eo, ipso ignorante, an teneatur restituere. Respondetur q; postquam primò sciuit, tenetur restituere perceptos fructus, exceptis tamen, quos bona fide consumpsit. Sylues t. §. 13. parte 8. Antonius de Buteo, ca. de regularibus. de simonia, dicit, quòd episcopus non potest renuntiare sine licentia papæ, neque inferiores sine licentia episcopi. Et prę ter hanc pœnam restitutionis incurrunt omnes pœnas excommunicationis, à qua non possunt absolui, nisi à papa. Ex his patet, quòd papa potest dispensare in omnibus superioribus, scilicet ut si quis restituat beneficium per simoniam habitum, etiam pecunia, quāuis Maior dicat, quòd in pecunia non potest, quia illa est ecclesię, & papa non est dominus eius. Et hoc apparē tiam habet, postquam in iure iam est acquisitum ab ecclesia. sed quia est pœnale, uidetur, quòd papa possit dispen-

9 sare. An * contrahentes cum papa sint simoniaci, aut incurrant pœnam iuris. Respondetur primò, quòd incurrunt peccatum simoniæ. Secundò, quātùm ad pœnas, Sylvest. §. 19. post Ioannē de Lignaris. c. 1. eodem tit. eo ipso q; ex certa sciētia scit & tolerat', dicitur, quòd limitandum est, quando simonia cōmittitur cum ipso papa, ut ab eo habeatur beneficiū, eo sciente & consentiente, quia tunc scientia principis hoc uitiū purgat. Adria. quotl. 9. ac ult. ad quartum argumentū principale, dicit de contrahentibus cum papa, q; ubi expressè eximit eos, ne incurrāt, etiā incurrūt pœnas illas. Et uidetur etiam tenere Panor. c. 1 de simonia. & ca. extirpandę. de præbendis. Sicut in simili, ludens cū ipso ad cozarium, super quo est lata sententia excōmunicationis, nō uitiat sententiam, ut dicit Ioan. Andr. in regula, an licet. de regulis iuris. Palud. d. 25. q. 4. art. 1. tenet cū Sylvest. q; papa uidetur dispēsare. Caiet. 2. 2. q. 100. art. ulti. tenet partem negatiuā, q; nō licet præsumi uotum principis, nisi recta ratio suadeat: & hoc modo suadet recta ratio, ut papa dispensēt cū illis. Imò contra uidetur argumentum, quia si papa confert beneficium excommunicato & scienter, nō intelligitur dispensare cum illo, ut in c. si sumus. de sententia excommunicationis, in Clemētina. ubi dicitur, quòd papa communicans scienter cum excommunicato, non intellig

intelligitur absoluere illum. Et glossa dicit, q̃ etiã si participet in diuinis. Sed Caietanus dicit hanc suam sententiam non esse firmã. Certè uidetur quòd papa non intendat dispensare, quia intendit retinere pecuniam, quam profectò non potest retinere, nisi conferat beneficium. Et ideo teneo opinionem Syluestri.

10 ¶ Dubitatur * an pro sepultura liceat aliquid accipere. Et uidetur quòd sic, ex consuetudine ecclesię. S. Tho. 2.2.q.100.art.4.dicit, q̃ idem est iudicium, quod de uasis sacris, & ideo terra uendi potest, nõ ratione consecrationis. Idẽ tenet in 4.d.25. Imò in c. abolendę. de sepulturis, dicitur, q̃ ius sepeliendi uendi non potest. Vnde licet diuersæ ecclesię habeant ius sepeliendi in eodem cœmeterio, una non potest uendere alteri ius suum. Primum dictum sancti Thomæ intelligendum est, quòd locus nondum consecratus in sepulturam uendi potest, duodecima, quæstione secunda, cap. aurum. Si uerò iam sit deputatus ad sepeliendum humana corpora, uendi non potest ad sepulturam. omnia iura in necessitate licet uendere alteri ecclesiæ. Hostiensis dicit, quòd quicquid temporale datur uel permittitur, ut electio sepulturæ fiat, est simoniacum, prima, quæstione secunda, quia pio. & de pactis, capite finali. Panormitanus in capite, apparentiam. de simonia, dicit quòd obseruari possunt *S. Thomas.*

sunt laudabiles consuetudines, si tamen in spirituali priùs conferantur, aliâs non est tolerabilis. tamen cauendum est, ne petant clerici aliquid pro sepultura. Sed possunt petere quòd seruetur consuetudo, & hoc pro officio sepeliendi. Et hoc dicit Sylvest. §. 20. Puto, quòd quando est consuetudo, quòd aliquid detur pro loco sepulturæ, ut notat Innocent. in cap. apparentiam. pro quo est text. in l. priui legia. cap. de sacrosanctis ecclesiis. ubi dicitur, quòd ea, quæ ab antiquo sunt solita ecclesiæ, & ministris tribui, non debent aliquo modo impediri. Quantùm ad hoc, uidetur mihi eodem modo prohibitũ esse accipere pro sepulturis, sicut pro aliis spiritualibus, siue hoc sit de iure diuino, siue humano. Patet hoc ex cap. abolendę ubi damnatur peruersa consuetudo exigendi aliquid pro loco aut terra sepulturæ. Glossa tamen dicit, quòd licet clerici exigere non possint, tamen laici sunt compellendi seruare antiquas conditiones. uel ex cap. ad apostolicam. ubi dicitur de funeralibus. & ca. cùm in ecclesia. de simonia. Secundò dico, quòd seruare consuetudinem laudabilem tenentur laici, ut patet ex d. c. ad apostolicam. quãuis in c. cùm in ecclesia. dicitur, q; nulla consuetudine excusari potest, quòd aliquid pro huiusmodi accipiatur, sed quòd non intelligatur, quòd non possint recipere, propterea quia non est

mag

magis ſpirituale, quàm ſacrificium. Et eodem tenore in d.ca. abolendæ.& c.ad apoſtolicam. & c. cùm in eccleſia. prohibentur exigere pro funeralibus, pro benedictionibus nubẽtium, & quibuſdam aliis. Tertiò idem eſt iudicium de exequiis & funeralibus, quantũ ad hoc. Tamen Sylueſt.dicit ti.de ſimonia,§.2. quòd pro his,ad quæ nõ tenentur,poſſunt exigere,aliâs non facere,dũmodo egeant,& citat Archidia. & Raymundũ& Piſan.An*poſsit aliquis obtinere ius priuatum ſepulturæ,& quomodo.Sylueſt.de ſepulturis.§.3.dicit, quòd laicus nõ poteſt habere dominium ſepulturæ,quia loca religioſa non poſſunt eſſe in dominio alicuius. Secũdo,Habere poſſunt quãtum ad uſum pro ſe, & ſuis ſepeliendis, neque eis inuitis poteſt aliquis ibi ſepeliri,niſi in neceſsitate. Tertio, Mortuo illo & familia illius, poteſt aliis concedi uſus illius ſepulturę,quia mortuo uſu funerario, uſus redit proprietario. Sed etiam quarto idẽ dicendũ de capellis. Quinto, Hoc poteſt fieri ex conceſsione eccleſiarum.Sexto, Pro hoc beneficio poſsũt eccleſię recipere dotem pro ſuſtentatione, ſicut pro aliis ſpiritualibus ſecundum conſuetudinem laudabilem. Et eodem modo ſicut pro miſſa celebranda, ſed eodem modo debet abeſſe peccatum ſicut in aliis,ſed ſolùm fitdonatio ex utraque parte.

¶ Dubium de ingreſſu religionis, An * ille, qui

qui recipit ad habitum, debeat aliquid accipere pro ingressu religionis. S. Thom. 2.2. q. 100. ar. 3. ad quartum dicit, quòd si monasterium est egenum, licet aliquid recipere ad sustentationem monasterii, addit Sylvest. §. 15. quòd licet exigere, & hoc S. Thom. dicit in 4. Si autem sine grauatione monasterii potest recipi nouitius, simoniacum est aliquid exigere. Hæc S. Tho. & ita Sylvest. absolutè tenet, quòd si egeant, possunt pacisci. Et est cõmunis opinio, licet contrarium teneat Supplemẽtum & Rosea. Tertiò, Si autem monasterium est opulentum, omnino est simoniacum quocunque modo pacisci, secundum omnes doctores. Hæc habentur c. quomodo. de simonia. & c. periculosa destitutione religiosorũ. lib. 6. ¶ Dubitat, Si
13 *quis legat monasterio perpetuò 1000. aureos ut faciat sacrũ perpetuò, hæres dicit, Ego dabo beneficium simplex huius missæ, & dimittatis legatum, an hoc sit licitum. Respondetur quòd fieri non potest sine simonia, ut patet, quia hoc est emere beneficium. Sed uidetur, quòd papa possit in hoc dispẽsare: dico quòd non uideo quomodo possit dispensare. ¶ Du
14 bitatur de* mediatoribus, qui pro aliis constituunt contractus simoniacos. Sylvest. §. 18. dicit, quòd easdem pœnas incurrunt, & eodem modo indigent dispensatione, ut absoluãtur. prima, quæstione prima. cap. statuimus. & cap.

si quis

si quis. de simoniacis. De matrimoniis etiam est difficultas, quia datur pro spirituali aliquid
11 temporale. ¶ Dubitatur, *An dare pecuniã, ut deponatur ab officio, sit simoniacum. Respõdetur ex superioribus, quòd uidetur quòd non, quia est negatio uel omissio spiritualis pro temporali. Sed econtra uidetur quòd sic, quia retinet spirituale pro temporali. Quicunque autem præsumit non peccasse mortaliter, non incurrit pœnas iuris. Excipio quòd tenebitur ad restitutionem. Si tamen facit pactum, & nisi excusetur ignorantia, omnino tenetur restituere, & rescindere contractum, De pœna suspensionis uide Syluest.titulo,suspensio.§.7. Simoniacus suspensus in ordine ab executione illius ordinis,extra de simonia.cap.tanta.18. d. c.eas.Imò ab omnibus ordinibus. Clemẽ.capientes.in de pœnis.Neque dispensatur,nisi à papa, qui beneficium recipit simoniacè,suspensus est.in c.tanta.& in c.per tuas.ex Panorm. quòd si fit occultus per pœnitentiam & renuntiationem,ministrare potest. Sed manifestus indiget dispensatione,trigesimasecunda, quæstione prima,§. uerũm. Sed post pœnitentiam episcopus po-
17 test dispensare. ¶ Dubitatur,An*dato quòd pro spiritualibus non potest aliquid temporale recipere aliquis tit. emptionis aut uẽditionis,an aliquo titu.spirituali possint esse media

ad

18 ad aliquod temporale. Pro quo nota, q̃ * triplex potest esse titulus recipiendi temporalia mediantibus spiritualibus, ut dicit Caiet. 2.2. in sua Summa. Primus, qui comprehẽdit communem contractum sub se inducentem obligationem legalem, & iste est omnino simoniacus & prohibitus, ut suprà dictum est. Secundus est sustentationis ministrorũ. Tertius est locationis operum & cõductionis. Et de isto tertio uertitur dubium, quia locatio est quodammodo species emptionis & uenditionis.

19 ¶ Vtrum * licet clerico locare operas suas in administratione rerum spiritualium? Pro cuius quæstionis solutione nota, quòd duplices operæ, uel duplex labor inuenitur in administratione spiritualium. Quidam est necessarius labor ad ipsam administrationem spiritualiũ, imò est ipsamet administratio, ut dicere horas, celebrare missam, cantare in choro. Et aliæ sunt operæ, quæ accidentaliter occurrunt, ut ire iter unius diei ad celebrandum, uigilare ad aliquod spirituale faciendum. Et de istis operibus secundi generis non est dubitandũ, quin ratione illarum possimus aliquid exigere. Et est sententia omnium doctorum, quòd licet locare tales operas, & exigere pecunias pro tali labore. Eodẽ modo, sicut si quis faceret sumptus eundo ad administrandũ uel celebrandũ sacramentum, posset paciscì de expensis, dum modo

modo in æstimatione illarum non habeatur respectus ad spiritualia. Hoc patet, quia illæ operæ sunt purè temporales, & per accidens, & impertinenter se habent ad administrationem spiritualium. de quo Caiet. 2.2. quæst. 100. art. 3. Sed de operibus & labore primi generis est maius dubium, & pro parte affirmatiua uidetur, quòd liceat illas locare, quia sunt temporalia, ergo ratione sui poterunt locari aut uendi. Præterea quia sacerdotes locant se ad celebrandum per menses, aut annum, & hoc ecclesia approbat, ut patet ex c. significatum. de præbendis. Præterea quia cantores in ecclesia locant operas suas. Confirmatur, Nam calix licet sit consecratus, potest uendi ratione temporalis, qd' est in illo, ergo celebrandi aut orandi labor, licet habeat annexam spiritualitatem, potest locari. In contrarium est, quia si tales operæ uendi possent, cùm omnia ecclesiastica constent ex operibus, sequitur quòd omnia ecclesiastica essent uenalia, & sic poterit uendi administratio sacramentorum, sicut & calix. Præterea si ministro debetur temporale ratione laboris & operum, ergo non debetur stipendium ratione sustentationis in administratione spiritualium, seu ratione ipsius spiritualis. quod ministrat: esset enim irrationale, si acciperet duplicē mercedem: & esset simile, sicut si sutor uelit pro calceo pretium, & aliam mer-

cedem pro opera conficiendi calceum. Præterea est contra definitionem simoniæ, qua dicitur, quòd est emere, aut uendere spirituale, aut spirituali annexum: sed istæ operæ sunt annexæ spiritualib⁹. ergo uẽdere illas est simoniacũ. Nam si unum uendas, & alterum intelligitur quod uendidisti. De hac quæstione sunt quidem uariæ sententiæ doctorum. Et de parte quidem affirmatiua, secundum quòd licet locare operas, & recipere aliquid pro labore, uide Altisiodor. 3. p.q. penult. & de eleemosynis. & Bonauent. 4.d.4.q.ultima, & Richard. eade d.q. 2. ubi dicit, quòd Episcopus recipiens salarium iuxta capitulum, cum sit Romana. respicit intuitu laboris, & consequenter dicit, quòd clerici dicentes psalterium pro mortuis, non peccant recipiendo pecuniam pro suo labore, licet quæst. 3. excipiat labores in administratione sacramentorum. Eiusdem sententiæ uidetur Armacha. lib. 10. ubi dicit, quòd pro laboribus licet recipere pecuniam. Idem tenet glossa in cap. significatum. de præbendis, ubi dicitur, quòd licet locare operas & recipere mercedem pro labore. Et Panor. eodem cap. ubi reprobat Innocent. & Hostiens. qui contradicunt. Et probant ex c. finali 2. quæst. 2. & ex concilio Agathensi, ubi dicitur, Clerici stipendia sanctis laboribus debita, secundum seruitii sui merita, à seçularibus consequantur.

Eand

Eandem uidetur tenuisse Hostiens. in summa post Gofredum, titulo de simonia, §. qualiter cõmittatur. Hoc tenet Adri. quotlib. 9. idem q; habet expresse Maior. 4. distin. 25. quæst. 6. ubi inter modos legitimos recipiendi aliquid temporale pro spiritualibus, ponit duos. Vnus est pro sustentatione, & alius pro labore celebrandi. Sed his non obstantibus sit conclusio,

¶ Non plus licet locare operas in administratione spiritualium, quàm ipsa spiritualia, neq; licet aliquid recipere p labore spirituali magis, quàm pro ipso spirituali. Hæc est summa Durand. 4. d. 25. q. 1. & Palud. 4. ultima, & Caietan. 2. 2. q. 100. & in sua Sũma. & Sylvest. de simonia, §. 9. & citat glo. c. ultimo extra. ne prælatus uices suas. & c. finali de pactis. Ex quo habetur, quòd ubi cessare debet conuentio, non licet locare operas. Idem tenet Aliacus tractatu de simonia contra Cancellariũ Parisiensem, & dicit nullum antiquorum, oppositum tenuisse. Et etiam expressa Summa S. Thom. 4. dist. 5. q. 3. art. 2. glossa 2. in corpore. ubi circa actus spirituales distinguit. Aliqui enim sunt actus spirituales ex primo, quia scilicet procedunt à potestate spirituali: sicut celebrare & administrare sacramenta. Alii sunt spirituales solùm ex parte finis: sicut docere, quod terminatur ad scientiam, uel ueritatem spiritualem. Et dicit, quòd in secundo genere operum licet locare

Durand. *Palud.* *Caiet.* *Sylvest.* *S. Thom.*

operas, non autem in primo: sed solum licet accipere aliquid in sustentationem, & idem ad literam ponit quotl. 3. q. 6. & eadem uidetur sententia eiº 2.2.q.100. ubi nũquam ponit aliud per titulũ recipiendi aliquod tẽporale pro spirituali, nisi ratione sustentationis. Probatur conclusio, Quia talis labor, & operæ sint spirituales, & nullo modo temporales: sicut sanare infirmum, mundare leprosum ex sua natura sunt temporalia, tamen si procedant ex gratia spirituali, spiritualia reputantur in materia simoniæ, & ideo non possunt uendi, ut patet Matth. 10. Gratis accepistis, gratis date. & dixerat, Infirmos curate. Prẽterea talis, qui locat operas, non gratis administrat. ergo est simoniacus. Probatur antecedens, Quia cùm administratio nõ fiat nisi per illas, imò reuera nõ est aliud administratio spiritualis, quàm ipsę eædẽ operæ, si non gratis datur administratio. Confirmatur. Pictor nõ diceretur gratis dare imaginem, si ita exigeret pretium operarũ illarum. Et profectò similis uidetur sycophanti dicere, quòd gratis quis celebrat missam, sed exigit pretium operæ & laborum: sicut si artifex dicat se gratis dare opus, exigeret tamẽ laboris pretium. Præterea minister tenetur gratis dare quantum poterit spiritualia, sed recipiens sustentationem posset non recipere pretium laboris. ergo si exigat, non dat gratis. Hoc enim

est

est gratis dare, nihil recipere, sine quo posset ministrare, aliàs facit contra præceptum domini dicentis, Gratis date. Præterea arguit Caiet. Quia minister spiritualis est delegatus à Christo, neque licet eis plus accipere, quàm illis à Christo constitutum est: sed dominus primò dicit, Gratis accepistis, gratis date. Et postea, ut Paulus refert, ordinauit, ut qui euangelio seruiunt, euangelio uiuant. ergo nullo alio titulo licet accipere aliquid temporale, nisi ratione sustentationis. Prętерea ratione spiritualis administrationis nullo alio habito respectu ad laborem debetur ei illud pretium. ergo pro uno opere debetur ei duplex merces, quod est omnino iniquum. Præterea si aliquid temporale est annexum spirituali, si illud temporale uendatur, debet æstimari quod ex se est, nullo habito respectu ad spirituale, ut patet de calice. Sed labor & operæ in administratione spiritualium nullius pretii & æstimationis sunt per se, neque aliquis daret aliquid pro illis nisi ratione spiritualis adiuncti, ergo ratione illorum nihil potest exigi. Caieta. ponit regulam, quòd res composita ex spirituali & temporali, si temporale sit principale, uendi potest sine scrupulo, ut patet de calice, & de patrimonio, cui est annexum ius patronatus. Sed si econtrario spirituale sit principale, res illa non potest uendi, etiam ratione temporalis in ea con-

tenti. Et quia in administratione rerum spiritualium principale non est labor, ideo operæ non possunt uendi. Et ita communiter dicunt Summistæ. Sed nescio si aliquid est temporale coniunctum cum spirituali, quare uendi non potest, siue sit magis, siue minus principale, neque de hoc datur aliqua ratio, saltem stando in iure diuino: quia cum sit temporale, non est prohibitum uendi iure diuino. Et ideo melius uidetur, ut dictum est, quòd illæ operæ & labores non sint temporales, neque magis neque minus principaliter, sed purę spirituales, ut in proposito loquimur. & per hoc patet solutio ad primum argumentum. Ad secundum respondet Caietanus, quòd licet ita sit, ut dictum est, quòd non liceat locare operas necessarias in administratione temporalium aliàs spiritualium, tamen ratione circunstantiarum & accidentium, quæ concomitantur ipsam administrationem, licet aliquid accipere, & pacisci de illo, & sic presbyteri possunt pacisci de pensione. Nam illic est uinculum & obligatio libertatis, & alia grauia, ad quæ non tenentur, & ratione illarum possunt facere pactum. Et sic intelligitur cap. significatum. hoc est, probabiliter & rationabilitet dictum, sed non caret calumnia. Si enim hoc est uerum, semper potest minister locare seipsum cũ obligatione audiendi confessionem

fessionem, aut prædicandi etiam ad unum diem, aut plures, quia etiam est uinculum & adeptio libertatis ad quæ non tenetur. at de hoc dicam inferius. Ad tertium argumentum patet etiam ex dictis: à cantoribus enim in ecclesia non quæritur aliquid spirituale, sed potius temporale, quod est musica illa, & amœnitas uocum, sicut ab organista, & ideo illis licet locare operas suas. Quod etiam patet, quia nihil refert, an illi sint clerici, nécne. Vnde cõstat, q̃ non uẽditur spirituale, neq; emitur. Panor. in c. suam. de simonia, recedit à prima opinione, quam tenuerat in capitu. significatum. & reprehendit dominum Andream, qui dicit, quòd non licet accipere aliquid pro spiritualibus, bene tamen pro labore.

REVERENDI PATRIS F. FRANCISCI A VICTORIA

Relectio

DE ARTE MAGICA.

Locus relegendus est,

Non declinetis ad Magos, nec ab ariolis aliquid sciscitemini. Leuit. 19.

SVMMA.

1 *Magia ars an omnino sit, hoc est, an inter mortales sit ars, uel facultas aliqua ad uidendum, & faciendum opera illa mirabilia, quæ de magis scribuntur, & circunferuntur.*

2 *Magicorũ opera, & mirabilia quæ referuntur, quòd eorum plurima sint falsa, conficta, & ex hominum uanitate credita.*

3 *Magorum opera, quòd non omnia sint uana, & conficta.*

4 *Magica ars, esto quòd sit alicuius efficaciæ, an tota eius uis uersetur circa illusionem sensuum, & imaginationis, ita quòd ex parte rei nullus sequatur effectus, nec sint entia uera, & naturalia, quæ à magicis fiunt, sed solùm præstigium, & illusio oculorum.*

5 *Magorum facta licet nonnulla fiant solum per illusionem, & præstigia sensuum, quòd tamen quædam in re, & secundum existentiam fiant, ostenditur.*

6 *Magorum mirabilia opera, an sint omnia opera naturalia, hoc est, ex causis merè naturalibus, & non dependentia à substantijs separatis.*

Magica

7 Magia aliqua, quòd dici poßit naturalis, & ſine cõmercio alicuius ſubſtantiæ ſpiritualis.

8 Magiæ ſtudioſi qui fuerint, recenſetur.

9 Magica ars alia, præter naturalem, quæ non uiribus & cauſis naturalibus conſtet, ſed poteſtate aliqua, & uirtute immateriali, & ſeparata nititur, quòd non ſit dubium quin reperiatur.

10 Dæmon malus, an ſit operum magicorum author, uel an referenda ſint potius in bonos angelos, uel in ipſum Deum omnipotentem. Et an omnino ſint dæmones.

11 Dæmones eſſe, quòd etiam ſtando in recta, & legitima Philoſophia, nullo modo ſit negandum.

12 Opera eadem, uel ſimilia, quòd fiant per artes magicas, & per gratias gratis datas.

13 Opera aliqua quòd fiãt à magis, quæ nullo modo fiũt per gratias, & econtrariò.

14 Magi, quòd nihil operentur, aut poteſtate diuina, aut angelica.

15 Magi, quòd in ſuis operationibus nonnunquam utantur facultate ſolum naturali.

16 Magorum operationes ſupra facultatem naturalem, quòd malorum dæmonum poteſtate, & uirtute fiant.

17 Animæ defunctorum, maximè quæ ſunt è numero damnatorum, an ſe miſceant artibus & operibus magicis.

18 Magi, an poßint miracula facere.

19 Magi, quòd non poßint miracula facere, probatur.

20 Magi, an poßint cogere dæmones pro ſuo arbitrio.

21 Dæmones, quòd cogi poßint aliquando, & cogantur ab hominibus.

22 Dæmones quòd ab angelis cogi poßint, & aliquando cogantur.

23 Dæmones ut uirtute diuina coërceantur, aut angelica, quod multùm refert, quibus uerbis, aut signis homines utantur.

24 Verba nulla, nec exorcismi, quòd non habeant efficaciam infallibilem ad cogendum dæmones, & arcendum illos, ita ut semper sortiantur effectum suum.

25 Magi, quòd aliquando possint cogere dæmones.

26 Magi quomodo possint dæmones cogere, & non alio modo.

27 Magi, quomodo habentes fœdus cum aliquo dæmone principali, possunt cogere inferiores dæmones, non autem ipsum principalem dæmonem. Et quid si non habeant tale fœdus.

28 Magorum tota opera, & efficacia in quo fundetur.

29 Dæmones superiores, an habeant aliquam potestatem in inferiores.

30 Dæmones superiores, quòd possint cogere inferiores.

31 Dæmon superior, an & quomodo possit inferiorem dæmonem tenere alligatum annulo, aut imagini.

32 Magi, an uirtute dæmonum possint corpora localiter transmutare, hoc est, per multa terrarum spatia, summa (ut ferunt) celeritate.

33 Dæmones, & magi, quòd uirtute dæmonum possint mouere, & transferre corpora de loco ad locum.

34 Magi an possint pro suo arbitrio immutare corpora, alterando secundum qualitates, immittendo, & contra sanitatem præstando.

35 Dæmones, & magi, quòd uirtute dæmonis non possint immediatè imprimere in rebus naturalibus, & materialibus aliquam formam, ut calorem, frigus, morbum, aut sanitatem.

36 Magi, quòd uirtute dæmonum possint mirabiliter

transmutare materiam, & naturas corporales, applicando semina rerum, & actiua passiuis.

QVoniam in principio secundi sententiarum quem circa finem huius anni interpretamur, agitur de natura, & potestate angelorum tam bonorum, quàm malorum, & potestas malorum angelorum inter mortales plurimùm, ut opinio est, exercetur per magos. Ideo constituì hanc relectionem de magica habere. Et tota disputatio habebit duas partes. In prima tractabitur de potestate & facultate magica. In secunda de licētia & iniquitate magicę artis, hoc est, quatenus, & quantū liceat, aut non uti magicis artibus. Et ut scholastico ordine ex more procedamus, prima quęstio sit, An *omnino sit magica. Hoc est, an sit inter mortales ars, uel facultas aliqua ad uidēdum, & faciendum opera illa mirabilia, quæ de magis scribūtur, & circunferuntur: an prorsus omnia illa sint uana, & cōficta ab impostoribus, & maleficis, & falsò credita à uulgi leuitate, & uanitate, ut quidam putant. Et uidetur ꝙ omnia illa sint uana & fabulosa. Primò, quia si fidē habere uolumus iis, quæ de magis referūtur, eadē opera credemus ea quę de Circe, & Medea, & aliis famosissimis magis prodita sunt, ut ꝙ non solum Poëtę, sed Varro narrat socios Diomedis in aues cōuersos, quæ longo tēpore pòst circa tēplum Diomedis

dis uolabãt: q; ſocios Vlyſſis Circe mutauit in beſtias, & quòd Arcades quodã ſtagno traiecto conuertebantur in lupos. Et quòd alii de Medea ſcribunt, Aeſonem ſocerum à ſenectute in iuuentutem reuocaſſe, & iunctis draconibus per aëra uolaſſe. Credemus item mẽſam Solis, quam, teſte Hieronymo, Apollonius ut uideret, uenit in Aethiopiam, in qua epulæ ſingulis diebus ponebantur ſine humano ope, & multa his ſimilia. Quòd ſi hæc pro fabulis habemus, non eſt quare credamus, & recipiamus alia, quæ de magicis traduntur, iſtis nihil probabiliora, neq; minus abſurda. Quæ enim maior ratio eſt, ut credamus opera Zoroaſtris, & aliorũ, quàm Circes, aut Medeæ? Nec ſatis eſt allegare authoritatem famæ aut antiquitatis. Multa enim ſimilia multis ſeculis credita & celebrata ſunt, quæ tamen à uiris ſapientiſsimis pro uanis & falſis habentur. ut de Phœnice nominatim dicit Herodotus, de qua pulchrũ miraculum celebratũ, ſcilicet, nunquã eam quenquam mortalium uidiſſe, niſi in pictura, eſt certum. Et confirmatur. Nam ex miraculis, quæ uulgo narrantur, perquàm pauca ad ueritatem reducuntur: multo magis credibile eſt oĩa, quæ de magicis iactantur, ludibria eſſe, & prorſus conficta. Nec ego in quenquã hominẽ fide dignum incidi, qui aliquid magicũ ſe uidiſſe aut pro cõperto habere affirmaret. Secundo, Nam

non

non minor fama & opinio obtinuit de arte alchimistica, quæ montes aureos profitetur, & promittit, de cuius tamẽ uanitate, & irrito conatu, nemo est ita bardus, qui dubitet. Vnde non maior fides uidetur habenda magis, quàm alchimistis, qui spondent quas non præstant diuitias, ut ait Ioan. 22. in extrauag. spondent. Tertio, Magi promittunt diuinationem futurorum, quam tamen neq; habere neq; præstare possunt, ut certum est, & statim disputabitur: aliàs essent dii. Esa. 41. Annuntiate quæ uentura sunt in futurũ, & dicemus quia dii estis uos. *Esaiæ 41.* Ergo pari ratione credendũ est, magos alia pol liceri, quæ implere non possunt. Ad hanc quæstionem non desunt uiri docti, qui totam magicam non tanquam superstitionem seu superstitiosam, sed tanquam falsam, & uanam atque impostricem condemnent, & nullius usus, aut efficaciæ affirment, inter quos est Plinius multis locis. Sed peculiariter lib. 3. c. 1. & profecto magno argumento. Multi enim uiri, & magni, & potentes cùm magicis studiis operã summo studio dedissent, nihil tamen facultatis, aut efficaciæ supra alios homines consequuti sunt. Inter quos fuit princeps Nero, qui huic arti ualidissimè incubuit, cui nõ opes defuere, non uires, non discendi ingeniũ, ad quem Mithridates Armeniorũ rex uenerat, & magos secum adduxerat, & technis, & ceremoniis eum initiauer

tiauerat: & tamẽ cùm regnũ ei Nero daret, hãc ab eo recipere artem nõ ualuit, proinde tãdem tãquam uanã, irritam, & inteſtabilem reliquit. Idem de Iuliano apoſtata legitur. Neq; eſt credibile homines minoris facultatis & fortunæ conſequutos quod tanti uiri tenere nõ potuerunt. Siue enim magicæ opes & uires naturales ſunt, nihil afferri poteſt probabile, quare Nero, & Iulianus non ſunt adepti facultatem, quam tantoperè affectabant, & nullo pretio nõ redimiſſent. Si autem dæmonũ uirtute & poteſtate abutuntur, neſcio cur dæmones humani generis hoſtes operam ſuã præſtare noluerint ſummis religionis hoſtibus, per quos nocere tantùm poterant, quam poſtremis hoſtibus tam facilè præbere dicuntur. Sed quia iſta ſententia nec nihil, nec totũ dicit, ſit prima propoſitio,

2 Eorum * quæ de operibus magicis, & mirabilibus referũtur, longè plurima ſunt falſa, & cõficta, & ex uanitate hominũ credita. Probatur primo, Quia pauciſsima ex omniũ hominum memoria referũtur, aut producuntur in hiſtoria à fide dignis, ut uidere eſt apud nobiliſsimos hiſtoricorũ, Diodorum, Herodotũ, Pompeium, Liuium, Plutarchum, Valerianum, qui ſine dubio, ſi quid de huiuſmodi admirabilibus pro cõperto habuiſſent, in hiſtoria referre non neglexiſſent. Et ſecundo item mirum eſt, cùm ex omnibus artibus ſemp perſeuerat ali-

quod

quod opus, ut ſtatuæ, & imagines à nobilibus pictoribus, & ſculptoribus, ab architectis nobilibus inſignia ædificia, magicæ uerò artes nulla imago, nullum pignus, aut ueſtigiũ habe tur ex tanta multitudine imaginũ, ſtatuarũ, & annulorũ, quos illi quotidie fabricare dicũtur. Promittunt quidem magi miracula, & portẽta, ſed parturiũt montes, & naſcitur ridiculus mus. Secunda propoſitio, Non * omnia magorum opera ſunt uana & confícta. Iſta concluſio manifeſtè probatur authoritate Scripturæ, ut patet de magis Pharaonis, qui uirgas ſuas conuerterunt in dracones. Exod. 7. & de maga, quæ ſuſcitauit Samuelem, 1. Regum 18. Item ſecundò, interdicitur magia iure diuino, ut patet in themate relectionis. Et Leuitic. 20. indicitur pœna mortis, ſi quis ad magos & ariolos declinauerit. Et in iure ciuili eſt capitale, ut patet in C. de maleficis. l. nemo. l. nullus. l. culpa. Itẽ in iure canonico 26. q. 5. per totũ. Non autẽ ita ſeuerè interdiceretur, ſi ars eſſet ſolum otioſa, & uana, & non eſſet efficax & pnicioſa. Itẽ Pſal. 57. Sicut aſpidis ſurdæ & obturantis aures ſuas, quæ non exaudiet uocem uenefici incantantis ſapienter. Ex quo patet, q; incantatio habet aliquã efficaciã. Item Matth. 24. Surgent pſeudochriſti, & pſeudoprophetæ, & dabũt ſigna, & prodigia, neq; alia gratia, aut arte, niſi magica. ergo. Et ut non de-

Exod. 7. 1. Reg. 18.

uorem

uoremus & rapiamus ſine delectu omnem hiſtoriam, & totũ uulgi rumorem, tamen intemperantis, & impudentis eſſet pernegare nõnulla magiæ opera mirabilia, quæ uiri graues literis mandauerunt, ut Cicero cũ aliis locis, tum lib. de diuinatione: quędam etiã & Liuius, & Valeriꝰ, & alii nobiles authores, & ut Ariſtait, quòd famã obtinuit nõ eſt omnino falſum. Et Porphyrius dicit ita notum eſſe magorũ artificium, & ſupra mortalium conditionem opera quædã fieri, ut probatione nõ indigeant. Et ut omnia ceſſarent, ſatis eſt, quod de mulieribus noſtris quotidie pro certo inuenitur dilas Bruxas. Argumẽta etiam in cõtrarium perſuadent primam propoſitionem. Sed ad illud de Diomedis & Vlyſsis ſociis reſpondet Auguſt. 18. de ciuitate Dei, transformationes illas, de quibus Varro loquitur, nõ eſſe ſecundum ueritatẽ, ſed ſecundum apparentiã per aliquod pręſtigium, phantaſia hominis per aliquam ſpeciem mutata: ut etiam dicit S. Tho. de potentia. q. 6. art. 5. ad 6. ¶ Sed ex hac ſolutione erit ſecũda quæſt.

S. Thom.

4 Dato* quòd ars magica ſit alicuius efficacię, an tota eiꝰ uis uerſetur circa illuſionẽ ſenſuum, & imaginationis: ita q̃ ex parte rei nullus ſequatur effectus, nec ſunt uera, & naturalia, quæ à magicis fiunt, ſed ſolum fit præſtigiũ, & illuſio oculorũ, & ſenſuum, ſicut Auguſt. dicit de Diomedis & Vlyſsis ſociis. Et uidetur quòd

omnia

omnia magorũ opera sint huiusmodi. Nam & de opere magorum, qui serpentes fecerunt, est opinio in glos. Rabani, Exod. 7. q̃ non fuerit uera conuersio uirgarum in serpentes, sed solum per aliquam pretiosam illusionem. Et ideo Augu. ad Simplicianum ponit tãquam probabile de illa suscitatione Samuelis, quòd non fuerit uera, sed aliquod phantasma, & illusio imaginaria diaboli machinationib⁹ facta. ergo idem potest existimari de aliis omnibus magorum operibus, si de his, quæ in Scriptura habẽtur, ita putatur, & creditur. Item secundo arguitur uehementer ex c. episcopi. 26. q. 5. ubi refertur, quòd quædam mulieres scelerate dæmonũ illusionibus, & phantasmatibus seductæ, credunt se cum Diana nocturnis horis, uel cũ Herodiade, uel cum innumera multitudine mulierum equitare super quasdã bestias. Et sequitur quòd sacerdotes per ecclesias sibi cõmissas populo Dei omni instantia prædicare debent, q̃ noverint hæc omnia falsa esse, & nõ à diuino, sed à maligno spiritu phantasma mentibus fidelium irrigari arbitramur. Ex quo loco uidetur determinatum, q̃ ea, quæ fiunt à maleficis, non sunt uera, & realia opera, sed tantũ phantastica, & præstigiosa. Si enim ea, quæ faciũt, aut patiuntur maleficæ mulieres istæ, quas nostri bruxas, Latini lamias, seu striges appellant, omnia sunt phantastica, & per illusionem sensuũ

nihil est, quare nõ idem reputemus de aliis magorum operibus. Item tertio, Idem uidetur ex historia. Refert enim Cælius passerẽ quendam inter magicæ uanitatis sectatores prima nocte consueuisse refertissimum repente conuiuium hominibus discumbituris præmonstrare, mox ubi cubitum fuisset, euanuisse omnia, ita ut nihil omnino uiseretur. Et simile quiddã uulgò fertur de illo Marchione Santillanæ. Nec dubium est, quin epulæ illæ, & apparatus ueri nõ essent, sed tantum oculorum præstigia, & illusiones. Item confirmatur ex eo, quod uulgo dicunt, Bienes del trasgo. nunquam enim uerũ thesaurum præstat, sed tantisper sub specie auri relinquit carbones. Confirmatur secundo ex ipso nomine magorum. uocantur enim omnes præstigiatores. ¶ Ad hanc quæstionem sit prima propositio & unica. Eorum quæ à magis fiunt, licet nõnulla fiant solum per illusionem & præstigia sensuum, quædam tamen in re, & secundum existẽtiam fiunt. Prima pars probata est sufficienter. Secunda autem probatur. primo authoritate Augu. 3. de trin. c. 7. & 8. & 33. quæstionum. q. 79. ubi expresse asserit, magos Pharaonis uerè conuertisse uirgas in serpẽtes. Et satis uidetur constare ex historia, quę postquam narrauit, quòd Aaron conuertit uirgam in serpentem, subiiciat, quòd malefici fecerunt similiter, proiecerũtq; singuli uirgas suas, quæ

5

Augustin.

quæ

uersæ sunt in dracones. Et ita tenuit Sanct. Thom.de potẽtia.q.6.art.5.ad 8.licet Rapinon de uerbo mirifico contrarium sentiat. Et expressè Origenes super Marcum,hom.13.tenuit cum beato Augustino. Item uidetur probari ex illo etiam Psal. 57. Sicut aspidis surdæ,&c. Ex quo loco uidetur, quòd incantatores uerè faciunt serpentes, & habent effectum circa illas.Item probat S.Tho.de potentia.q.6.art.10. quòd aliquando in incantationibus audiuntur uoces magorum ab omnibus circunstantibus, quod fieri non posset per prestigium,& solum immutationem imaginationis, quia talis immutatio(ut ait S.Tho.lib.3.contra Gen.c.104. & uerum est) non fit integris & solutis sensibus exterioribus,sed in dormientibus, uel qui raptum & ecstasin patiuntur,ut experientia docet. Vnde cùm ea,quę à magis fiunt,uideantur nonnunquam, & audiantur solutis sensibus exterioribus, signum est, quòd uerè fiunt, & non secundum apparentiam. Et confirmatur, quia Peripatetici negantes aliquid fieri à magis quod excedat facultatem causarũ naturalium, ut infrà dicemus,tamen non audent negare huiusmodi mirabilia uerè fieri à magis: quod tamen multum intererat ad opinionem suam tuendam: sed conuicti sunt historia, & experientia rerum. Ad argumenta autem facta in contrarium de sociis Vlyssis,& de suscitatione

S. Thom.

Orig.

Samuelis &c. dicemus inferius, & ibi uidebitis quid de illis habeatur. ¶ Tertia quęstio, quæ sequitur, superior est, An * mirabilia opera magorum sint omnia opera naturalia, hoc est, ex causis merè naturalibus, & non dependentia à substātiis separatis. Et uidetur quòd possint omnia esse naturalia. Nam primùm omniū non est sufficiens argumentum, quòd non sint naturalia, quia sunt inconsueta, & pręter solitum cursum naturæ. Vt si quis re uera per alchimię artem uerum aurum faceret, certe aliquid insolitum faceret, & fortasse hactenus infectum: nullus tamen negaret opus esse naturę: Vnde uidetur rudis, & imperiti ingenii statim damnare opus insolitum, quantumuis mirabile, & referre in dæmonum potestatem. Item secundo magi operantur adhibitis certis rebus naturalibus & materialibus. Item sub certo situ, & constellatione astrorum, & fabricantur suas imagines, & annulos, non ex quauis, sed ex certa materia, & obseruatis punctis, & motibus astrorum, quæ omnia frustra fierent, & adhiberentur, si effectus expectarentur à uirtute substantiæ separatæ, & non à causis naturalibus. ergo uidetur dicendum, quòd opera magorum sunt naturalia. Ad hanc quæstionē Hermes Trimegistus, ut refert August. 8. De ciuitate Dei, cōtendit, quòd omnia opera magorum fiant uirtute naturali, & maximè

uirt

uirtute cæleſti, nec oportet ex operibus iſtis ſumi argumentum ſubſtantiæ ſeparatæ. Et eadem eſt communis ſententia Peripateticorum. Vnde Alexander in libro de magis hanc opinionem multis uerbis defendit, & confirmat. Ad cuius probationem duo fundamenta præmittit. Alterum, quòd uirtus cæleſtis, licet non formaliter, ſed uirtualiter eſt uirtus omnium elementorum & miſtorum, & habet efficaciam omnium illorum. Alterum, quòd multa poſſunt fieri concurſu multarum cauſarum naturalium, quæ ab una tantum fieri non poſſunt, ut manifeſtè conſtat. Ex quibus fundamentis infert, quòd nihil obſtat, quominus credamus, quòd in imagine, uel ſtatua, uel annulo aſtrologico fabricatis, & compoſitis ad certam influentiam, & poſitionem ſtellarum ſit uirtus, & efficacia ad aliquos effectus, ad quos oportet concurrere multitudinem cauſarum inferiorum. Et ſimiliter quòd adhibitis certis, & paucis ſeminibus, & cauſis naturalibus ſub certò ſitu, & concurſu ſtellarum, & aſtrorum, ſequatur ſubitò opus, quod aliâs exiget grande temporis ſpatium, & concurſum plurium cauſarum inferiorum. Vt exempli gratia, Si magus uſus imagine uel annulo conuerteret ſubitò argentum in aurum, aut ex uirga faceret ſerpentem, ut magi Pharaonis fecerunt, non eſt quare negemus opus prorſus

esse naturale. Si enim aliquæ causę naturales conuertere possunt quamuis materiam in aurum aut serpẽtem, certè nihil inopinabile est, quod influentia cælestis opportunè adhibita, suppleat uicem omnium aliarum causarum. Imò inquit Alexan. mirum magis esset, si substantia separata posset talis effectus influere, cùm nullam habeat proportionem ad tales effectus, non plus quàm ignis ad producendum aquam. Addunt Peripatetici, & fautores eorũ, historias in confirmationem suæ sententiæ. Vnde Danasc. referente Cælio scribit Sarcham Indorum principẽ annulos septem cõpegisse, ac septem stellarũ nominibus præsignasse, quibus mirifica opera ederet, quos etiam Apollonius tyrannus dono ab eo accepit, quorum beneficio contigisse, Apollonium iuuentæ nitorem prętulisse, & conseruasse, quamuis annum centesimum iam excessisset, cùm diebus singulis singulos annulos gestaret secũdum dierum & planetarum nomina. Tertio, neque putãt prorsus absurdum Gygis annulum illum Platonis credere, cuius & Cicero in officiis & Gregorius Nazanzenus in Monodia, naturalem meminit fuisse, & magorum artificii egregium opus, quem cùm Gygis gestaret, quando uideri nolebat, paleam intra digitum uertebat. Qua ratione cùm in Lydorum regiam penetrasset, regem cepit, seque regem constituit.

Quar

Quarto, Ad huius fidem opinionis etiã facit, quòd Philosophi non reiiciunt imagines quas uocant astronomicas, quas adhibent etiam in curatione membrorum, seu morborum, inter quos unus fuit Marsilius Ficinus, qui inter medicamenta naturalia imagines ponit astronomicas, ut uidemus uulgò annulos ferreos gestari ad certam stellarum positionem fabrefactos, quos putant certis ægritudinibus mederi. Sed pro determinatione quæstionis quædam in medium afferenda sunt, sitque
7 prima propositio, Aliqua * magica potest dici naturalis, & sine commercio, & concursu alicuius spiritualis. Ante probationem quæstionis nota unum argumentum, quod remanet pro fulcimento illius opinionis. Nam Vuicleff. etiam de statu innocentiæ, cap. quarto, ut refert Vualdensis, de sacramentalibus dicit, Adam habuit notitiam ad nominandum secundum proprietates naturales naturas sibi subditas, sub quibus nominibus homini naturaliter obedirent, & huic reseruantur reliquiæ potestatis innocentiæ in uocibus exorcistæ, & naturaliter incantantis, & ad hoc credo uoces (inquit) Hebræas habere maiorem efficaciam. Hoc iam uiso, pro probatione conclusionis, & eius declaratione est notandum, quòd nomen magiæ de se non importat artem aut facultatem extra uel supra

omnem uirtutem & efficaciam cauſarum naturalium. Hoc patet, quia ſi hoc eſſet de ratione uel ſignificatione magicæ, non relinqueretur locus dubio, aut diſputationi, an effectus & opera magorum poſsint eſſe à ſolis cauſis naturalibus, quæ tamen quæſtio fuit multum iactata inter Philoſophos, & adhuc ſub iudice lis eſt. Sed uidetur nomen magicæ à principio receptum pro arte & facultate ad efficiendum & patrandum opera occulta, & mirabilia, non ſolum extra ſolitum rerum curſum, ſed ſupra hominum opinionem, & captum. Hoc ſuppoſito, probatur concluſio primo, Pauci hominum cognoſcere poſſunt, cùm nec ſenſu poſsint comprehendi, nec aliqua ratione inueſtigari. Ars ergo, & facultas huiuſmodi rerum & uirtutum merito magica dici poteſt, quia ſit effectrix, & operatrix huiuſmodi operum, & effectuum, quorum ratio comprehendi, aut intelligi mente non poſsit. Vnde ſi magnetis uſus uulgo ignotus eſſet, & aliquis recens primum oſtenderet, magus uulgo putaretur, & haberetur: eſſet enim admirabilis, & incredibilis operis au-
Auguſt. thor, & effector. Vnde Auguſtinus 21. De uit. capit. 4. tanquam pro miraculis refert ſe uidiſſe annulum ferreum à magnete pendentem, qui rurſum ſecundum annulum traxit, & ille rurſum ſecundus tertium, & ſic uſque

ad

ad certum numerum, ut uelut catena texeretur Et item aliud mirabile scribit se accepisse à coëpiscopo Seuero, uerti scilicet uirgam ferream super argentũ concitatissimo cursu, cùm aliquis magnetem infra moueret, quod opus nunc iam nemo miraretur, cum iam uulgata sit uirtus & efficacia. Sed illud mirabilius, quòd idem asserit magnetem non rapere ferrum, si iuxta eum adamas ponatur, & si rapuerit, remittere. Itaque non uidetur magica naturalis esse, nisi quædam pars secretioris & reconditioris Philosophiæ, quæ si notior fiat, & in consuetudinem uenire incipiat, non solum uulgi, sed etiam philosophorum desinit uideri & uocari magica, sed cum aliis artibus annumeratur. Item dici potest de arte alchimiæ, quæ si ars est (quod ego non credo) magica dici potest, cum sit secretum & mysterium doctissimis & peritissimis philosophorum ignotum. Probatur secunda conclusio, Quia non est dubitandum (in quo Alexander rectè sensit) quòd aliquid insigne, & singulare, & præter consuetum ordinem naturæ, seu rerum contingere possit, ad certum situm, & ordinem astrorum adhibitis paucis rebus naturalibus, quale opus etiam nullis causis inferioribus confici possit. Qui ergo huiusmodi artem & facultatem haberet, siue à maioribus traditam, siue experimentis & casu repertam, siue etiam

à ſubſtantia ſeparata reuelatam, merito magus
8 dici poteſt. Item * ſummi philoſophi fuerunt magiæ ſtudioſi, ut Democritus, Pythagoras, Empedocles, Plato, & inter noſtros Albertus. Tertio confirmatur, quia in nonnullis rebus naturalibus inueniuntur mirabiles effectus, & prorſus ſimiles magicis operibus, ut eſt illud, quod Ariſtot. refert lib. de mirabilibus de lapide molari, qui in Tigride reperitur, quem qui portauerit, non uiolabitur à feris. Item herbam chariſiam reperiri in mõte Egero, quam ſi mulier portauerit, homines ad ſui amorem pelliciet. Et item illud quod de dictamo herba certiſsimi uthores tradunt, capras in Creta cũ eam ederint, ſagittas excutere. Et alia non pauca huiuſmodi, quæ non à magis, ſed à doctiſsimis philoſophorum monumentis prodita ſunt. Non ergo ut ſtatim aliquid ignotum & ſtupendum uidemus, continuò pro ſuperſtitioſo damnandum quis diceret. Item quod omnes aſſerunt de herba pici, Hiſpanè, el pito, quæ ſeras etiam ferreas aperit. Item illud uideri poſsit magicũ, quod Plinius libro 7. ſcribit, hominis ſaliuam pernicioſam eſſe ſerpentibus. Item quis non diceret magi-
Auguſt. cum eſſe, quod idem Auguſtinus ubi ſuprà capit. 5. inquit, in Epiro eſſe fontem, in quo faces ardentes extinguuntur, & extinctæ accenduntur? Non ergo ſtatim ut aliquid ignotum

tum uidemus, & ſtupendum, reclamandum eſt continuò, & pro ſuperſtitioſo damnandum, ut iam uidemus. Secunda propoſitio,
9 Præter * hanc magicam naturalem non eſt dubitandum, quin ſit alia ars magica quæ non uiribus, & cauſis naturalibus conſtat, ſed poteſtate aliqua, & uirtute immateriali, & ſeparata nititur & utitur. Hæc ergo probatur à Sancto Thoma, libro tertio, ſuper Geneſ. capit. 104. Primo, Quia aliqui effectus magicarum artium referunt, & pro certo comperti ſunt, qui non poſſunt referri niſi in cauſam & naturam intellectualem. ergo non poſſunt uniuerſaliter omnes effectus magicarum artium referri in cauſas naturales, & in corpora cęleſtia. Aſſumptum probatur, quia magi dant reſponſa de occultis, ut de furtis, & theſauris. Item aliqui per magicas artes conſecuti ſunt ſcientiam rerum, & artes liberales, & alia huiuſmodi, quæ pro certò de magis referuntur. Item aliquæ ſtatuę magorum loquutæ comperiuntur, & reſpondiſſe ad quęſita de diuerſis. Hec, & id genus alia, licet rara, manifeſtũ eſt, niſi ab intellectu proficiſci nõ poſſe. Secũdo argumẽtatur S. Tho. Vel ſtatuæ magorum ſunt animatę, uel non. Si primum, cõtrà, Nam principiũ uiuendi eſt omnibus uiuẽtibus forma ſubſtantialis. uiuere enim eſt eſſe uiuentibus, ſecundo De anima: ſed S. Thom.

ſtatuæ

ſtatuæ non receperunt formam aliquam ſubſtantialem magico artificio, quia nō amittunt formam ſubſtantialem, quam prius habebant. Manet enim aurum aurum, & argētum argentum. non ergo eſt poſsibile, quòd huiuſmodi ſtatuæ recipiant formam ſubſtantialem aliquā, quæ ſit principium uitæ. Item non eſt uita ſine curſu: ſtatuæ autem magicæ non ſunt ſenſibiles. Primus enim ſenſuum eſt tactus, qui non conuenit niſi in organo temperato, qualis temperies non eſt in lapide, uel in metallo, ex quo fit ſtatua: non ergo eſt poſsibile, quòd huiuſmodi ſtatuæ habeant principium uitæ. Si autem non uiuunt, contrà, Quia inanimata non mouent ſe, ſeptimo Phyſicorum: ſed magi, ut fertur, faciunt ſtatuas moueri nullo impellente. ergo oportet dicere, quòd illum motum habent ab aliquo motore extrinſeco, & uiuente, & non à uirtute cæleſti, uel aliqua uirtute materiali. Tertio arguitur, Nam quęcunq; fiunt uirtute cæleſtium corporum, ſunt formę naturales rerum materialium. quod igitur nulli rei eſt naturale, non poteſt fieri uirtute cæleſtium corporum: quædam autem talia fieri dicuntur à magis, ut quòd ad præſentiam alicuius quęcunque ſeræ pandantur: item quòd aliquis fiat inuiſibilis, & alia huiuſmodi. non ergo hæc referri poſsunt in uirtutem cæleſtium, ſed in aliquam poteſtatem ſeparatam

tam, & inuisibilem. Quarto, Quia effectum naturalem uirtutis cælestis contingit inueniri sine artis operatione. Et si enim aliquando artificiosè operetur aliquis ad generationem ranarum, serpentium, aut huiusmodi: contingit tamen hęc fieri sine ullo artificio. Sed nonnulla profitentur magi per magicam artem, quæ per aliam uirtutem naturalem non inueniuntur, ergo oportet ut illa sint non à uirtute cælesti, sed ab aliqua substantia separata. Et hæc est sententia omnium Platonicorum, ut Porphyrii, Iamblicii, Plotini, & aliorũ ex eadem secta. Hoc ergo tanquam uero, & recepto pro certo, quòd magorũ opera tribuenda sunt substantiæ separatæ, restat ut ponamus quartam quæstionem talem, ¶ An * author, & fautor magicorum operum sit malus dæmon, an referenda sint potius in bonos angelos, uel in ipsum Deum omnipotentem. Et ante omnia oportet scire, an omnino sint dæmones. Nam quidam putant, quòd hominum uanitas & superstitio dæmones inuenerit, aut fecerit, de qua re in uera religione dubitari nullo modo potest: tota enim Scriptura ueteris & noui Testamenti plena est testimoniis, ubi planè, & disertè dæmones esse assumuntur. Et ratione probatur. Leuitic. enim 17. interdicitur immolari hostias dæmonibus. Et Deuteronom. 32. in Cantico Moysi contra impietatem & ingratitud

Leuit. 17.

Deut. 32.

gratitudinem populi dicitur, quòd immola-
2.Paral.2 uerunt dæmoniis,& non Deo. Et 2.Paralip.2. dicitur de Hieroboam, quòd constituit sacerdotes excelsorum, & dæmoniorum. Et apud Tobiam prolixior historia texitur de dæmonio illo nomine Asmodæo.Et in pluribus Doctoribus frequens est mentio de dæmonibus, nec opus est aut plura ex ueteri Testamento, aut aliquid ex nouo in re apertissima citare. Vnde & mirum uideri potest, quomodo Sadducæi negauerint spirituum aliquem esse, ut
Actu. 83. legitur Actuuum 23. qui certè legem recipiebant, nec à consortio templi,& sacrificiorum
Iosephus. excludebantur.Et Iosephus 2.lib.de bello Iud. & antiquitatum 13. & 18. dicit de Sadducæis, quòd legem (sine aliis tamen obseruationi-
Iob 1. bus)custodiebant. Item Iob 1.Cùm uenissent filii Dei ante faciem Domini, affuit etiam Satan inter eos. Et ubicunq; in Scriptura inuenitur mentio de illo. Sed quàm certum est in Scripturis dæmones esse, tam fuit olim dubitatum,& controuersum inter Philosophos. Peripatetici enim pro maiori parte negant dæmones esse prorsus. Nec dubitatur, ut ait Auerrois, in epistola de resurrectione, quin hæc fuerit sententia Aristot. qui nullas nouit substantias spirituales præter motus orbium. Quod etiam putauit se demonstrasse 12. Metamphy.& in lib.de cęlo. Et de arreptitiis, qui uidetur

uidentur à dæmonibus teneri, dicit uexari, ab humore malancholico in Problema. parte trigesima: & Alexander quidem inter Peripateticos constanter tuetur hanc partem. Quæ opinio ante fuerat Democriti, de quo historia scribitur, quòd cùm adolescentes quidam personati in dæmonum habitum & figuram ad Democritum noctu penetrassent, quasi hominem territaturi, ille prorsus securus nullos dæmones esse, Desinite, inquit, desinite: ita certus erat nullos dęmones esse. Putant autem Peripatetici uulgi persuasionẽ & opinionem de dæmonibus inde obrepsisse, quòd uiri sapientes hæc terriculamenta cõmenti fuerunt, ut ait Auerrois, ad arcendos, & terrendos improbos à sceleribus, quasi post hanc uitã mortalem supersint ultores malorum, quos dęmones uocant. Et nominatim Simplicius & ipse Peripateticus, lib. de Anima Pythagoram tradit huius inuenti & figmenti primum authorem. Ex qua sententia illa opinio orta est, quam suprà recitauimus, quòd omnia opera magorum sunt naturalia. Sed contra Aristot. & Peripateticos sit prima propositio ad quæ-
11 stionem principalem, Quòd stando * etiam in recta & legitima philosophia, nullo modo est negandum dæmones esse. Hæc conclusio, sententia fuit omnium antiquorum Philosophorũ Empedoclis, Pythagoræ, Socratis, Platonis.

Prima propositio contra Aristot. & Peripateticos.

tonis. Vnde & Plato in Politica tyranni, dicit animas impiorum post mortem cruciari ab ultoribus. Et in sympos. dæmones apertè ponit. Quod idem facit Xenocrates in libro de morte. Nam de Socrate dubium non est, qui etiam dæmonem se habere profitebatur tanquam authorem, & uelut præceptorem Philosophiæ, quam suggerere suis auibus curabat, & contendebat. Sequitur enim hanc opinionẽ tota turba Platonicorũ. Herma. Mercurius in Pimãdio, Proculus in Alcibiade, Iamblicus de mysteriis Aegyptiorum, Caladius in cõmento, Porphyrius in libro de occasionibus, Plotinus in lib. de proprio cuiusq;, Apuleius, qui etiam de Socratis dæmone librum scripsit. nec in hac re peripatetici omnes ausi sunt Arist. sequi, sed plures ab eius sentẽtia deuiarunt. Vnde & Porphyrius citat pro eius sentẽtia magnum Theophrastum, in qua etiam fuit Ammonius philosophus, Auicenna, & eius socius Algazel. Imò ipsę Arist. aliquando uidetur non fuisse alienus ab hac opinione, qui in lib. de mirabilibus dicit, referente Apuleio, Lemures, & Lamias habitare in orbe tristi. Pro hac opinione pauca uel nulla possunt fieri argumẽta philosophica: sed cũ etiã in contrariũ nulla adducãtur, talia sufficere deberẽt cũ authoritate summorum philosophorũ fama publica & æterna. Nam & ipse Arist. mundi æternitatem probare nititur

nititur ex memoria patrũ per manus tradita, & relicta. Et est sententia ueridica, quòd nonnunquam aliquid ex opinione & persuasione communi probatur. Secũdò etiã probatur ex operibus magorum, quæ, ut probatũ est, necesse est referre in aliquã substãtiã separatã, &, ut statim probabit, nõ possunt tribui nec Deo, nec bonis angelis: ergo oportet ea assignare dæmonibus. & certè, ut omittamus authoritatẽ religionis & scripturarũ, uehemẽter confirmatur hæc sententia ex eo, q barbari homines, nec persuasi, nec decepti à philosophis, ut peripatetici calumniãtur, eandẽ retinent fidẽ, & opinionẽ, nec dubitant dæmones esse, quales sunt isti, qui ab Hispanis ante aliquot annos reperti sunt, in quos publica fama est dæmones esse, & non rarò aliquibus in ea regione apparuisse. Sed urgent peripatetici, obiicientes, quòd dæmones si sunt, nullum ordinem, nec locum naturalem uidentur habere in orbe. Nec enim ordinantur ad res corporeas, & multo minus ad incorporeas, si quæ sunt: unde uidentur frustra esse in rerum natura, atque adeò non esse. sed hoc argumentum fortasse satis probat, quòd dæmones non sunt per se in orbe, nec sunt partes seu pars publica mundi, sed per accidens, hoc est, ex malitia eorum ex substantiis cælestibus redacti sunt in substantias inferiores, & infra cælestes,

quos uerbo Græco dęmonas appellant, quod paripatetici ignorantes, nihil mirum si homines alioqui sapientes in hac parte lapsi sunt. ergo hoc fundamento firmiter iacto, redeundo ad quæstionem, dubitatur, an opera magica referenda sint in Deum, uel in angelum bonum, an in dæmones istos. & uidetur, quòd possint, & debeant referri in Deum. Primò, quia magis nihil aliud tribuitur, nisi quòd faciunt opera mirabilia, id est supra causas naturales, sed per gratias, quas theologi uocant gratis datas, fiunt similes operationes, scilicet supra totam facultatem naturæ. Cum ergo gratiæ sint à Deo, nihil uidetur obstare, quominus magi credantur habere facultatem illam à Deo. Nec sufficit dicere, quòd gratiæ dantur ad effectus excedentes totã facultatem naturæ creatæ, etiam angelorum, & dæmonum. Ex quo constat esse à Deo. Nam inter gratias annumeratur gratia linguarum, & sanitatum, ut patet 1. Corin. 12. Sed utrunque non excedit potestatem angelorum, & dæmonum, qui certè nouerunt omnes linguas. ergo ex hoc non habetur differentia inter magicas artes, & gratias. Nec iterum sufficit respondere, quòd magi sunt nequam uiri, & scelesti: contrà autem habentes gratias, sunt uiri boni & pii. ergo Nã primo hæc distinctio est per accidens, & non est distinctio rerum sed

subie

subiectorũ,ut S. Tho.dicit 2.2.q.172.art.4.& q.178. art.2. Et præterea nihil prohibet, quin mali habeãt gratias,ut uidetur ex illo 1.Corin. 13.Si habuero omnem fidẽ,ita ut mõtes transeam, charitatem autem non habeam, nihil sum.Vnde uidetur,quòd possit etiam esse gratia miraculorum sine charitate. Et Hieronymus super illud Matt.7.Nõne in nomine tuo prophetauimus,& uirtutes multas fecimus?dicit prophetare,uel uirtutes facere,& dæmonia eiicere,interdum non est eius meriti, qui operatur.Imò August.libr.83.q.affirmat quædam miracula sceleratos homines facere,quæ boni facere non possunt. & Balaam habebat gratiam prophetiæ, ut patet Nume.21.& 23. & 24.& tamen erat malus,& magus, ut gloss. dicit,Numerorum 22.& Origẽ.homi.13.super Nume.ergo malitia & bonitas non potest esse differentia inter magicas artes,& gratias. Et iterum nec ualet dicere, quòd magi in malos fines utuntur magicis artibus, habentes autem gratias non abutuntur illis in malos fines. Nam iterum hæc differentia est extrinseca,& per accidens, nec inconuenit magum uti sua facultate propter bonum finem, ut ad soluendum maleficiatum, aut sanitatem conferendam.& si habentes gratias possunt esse mali,ut dictũ est,poterunt abuti gratia omnino.ergo nõ apparet quare facultas magica

S. Thom. *1. Corin. 13.* *Matth.7.* *August.* *Origẽ.*

gica non posſit referri in Deum authorem, ſicut & gratiæ gratis datæ. Vnde uidetur ſolui argumentum S. Thom. de potentia, q. 6. artic. 10. Et 3. cont. Gent. c. 106. quo uult probare, quòd magica opera non referuntur in Deum, aut bonum ſpiritum: quia boni ſpiritus non cooperantur hominibus ad illicita opera perpetranda, quod plerunque fit per artes magicas. patet inquam argumentum non procedere. Secundò confirmatur de his hominibus, quos Hiſpani ſalutatores appellant qui (ſi uulgo credimus) opera faciunt ſupra facultatem naturalem, & tamen utplurimum ſunt homines perditi, & peſsimis moribus: tamen credimus eos gratiam ſanitatis habere à Deo, neque pro maleficis habentur, neque puniuntur. Vnde ergo conuincere poſſemus, ſi quis magicam exerceat, quòd à dæmone potius quàm à Deo habeat. Tertiò, quòd ſi omnino non placet referre magicas artes in Deum, ſaltem non uidetur quare non referantur in bonos angelos potius quàm in malos. primò, quia certum eſt, quòd non minorem habent poteſtatẽ boni angeli, quàm mali. ergo ſi credãt mali angeli communicare ſuã poteſtatem malis hominibus, quare non ſunt credendi boni angeli communicare ſuam poteſtatem bonis & piis? & ſic ſaltem erit aliqua magica pia, & bona, quæ bonos angelos habeat patronos.

tronos. Item quartò, si dæmones flectuntur precibus, & sacrificiis, ut operentur mirabilia secundùm uota impiorum, & sacrilegorum, quare etiam non boni angeli flectuntur precibus piorum, & bonorum, ut in fauorem eorum faciant aliqua mirabilia? Item quintò, saltem ad disoluenda maleficia, & incantationes maleficiorum, quare non sperandum est, quòd boni angeli communicent potestatem & uirtutem suam, cùm omnino sit certum, bonos angelos propensiores esse ad beneficia cõferenda, quàm dæmones ad maleficia? Item aliqui Magi utũtur solis uerbis sacris, & signo crucis, ut mulierculæ istæ, quę, nescio quæ his signis faciũt. Itẽ sextò, cũ boni angeli possint præstare sanitatẽ præter solitum cursum naturę, reuelare thesauros, dare scientias, & artes humanas, quare si aliquando aliquid huiusmodi contingat, quare, inquam referamus semper in malos angelos, nũquam in bonos. & si dicas, quòd cùm hæc fiant uirtute diuina, aut angelica, non dicuntur fieri arte magica, sed solùm quando fiunt dæmonis concursu, & uirtute, iam disputatio tota erit de nomine, & frustra disputant doctores qua uirtute Magi operentur. At pro solutione quæstionis & dubii sit prima propo-
n sitio, Eadem* opera, uel similia fiunt per artes magicas, & per gratias gratis datas. Pro-

batur, Nam ad gratias pertinet dæmonia eiicere, serpentes tollere, sanitatem conferre, linguis loqui, ut patet Marci ultimo, & 1. Corin. 12. sed hæc fiunt à magis. ergo eadem opera sunt utrisque communia. Secunda propositio, Aliqua* opera fiunt à magis, quæ nullo 13. modo fiunt per gratias, & econtrario. Hæc patet, Nam magi operantur maleficia multa, & beneficia, quæ nullo modo competit gratiis gratis datis. econtrario autem in gratiis est prophetia, quam magi nullo modo habent, ut infrà disputabitur. ergo conclusio est manifesta in utranque partem. Tertia pro- 14. positio, Magi* nihil operantur aut potestate diuina, aut potestate angelica. Hæc probatur primo, quia aliâs magicæ artes non essent in uniuersum interdictæ & iure diuino & humano, ut suprà ostensum est. Item si magi uterentur potestate diuina aut angelica, magica non esset ars, sed gratia, & donum. Non enim aut Deus, aut boni angeli alliciuntur in opera hominum arte & disciplina, sed pietate, aut propria Dei & angelorum bonitate, & gratia. Item tertiò, Certè procedit argumentum recitatum ex Sancto, Thoma. dato enim, quòd mali possunt aliquando etiam miracula facere, non tamen hoc habent habitualiter, nec dicuntur habere gratiam, licet

nonnun

nonnunquam mirabilia per eos fiant propter reuerentiam nominis Christi, ut patet Matthæi 7. uel ad amplificationem religionis & fidei, qua necessitate, aut opportunitate sublata, nulla supereſt in malis facultas ad huiusmodi opera: magi autem operantur ex habitu quomodocunque uolunt. & præterea pernicioſè, & cum magno hominum nocumento sæpe operantur: unde constat non habere facultatem uel à Deo, uel à bonis angelis. Item quartò, Quia, ut ait Sanctus Thom. contra Gent. ubi suprà, in operationibus magicarum artium contingit magna incongruitas, & dissonantia rerum, quæ nullo modo potest tribui bono spiritui. requirunt enim huiusmodi artes (ut magi dicunt) hominem reuera non attractatum, cùm tamen plerunque adhibeantur rebus amatoriis ad illicitos concubitus conciliandos. Item licet magi uideantur habere scientiam occultorum, tamen nunquam, aut rarò extendit se notitia eorum ad certas artes, & scientias, sed in minimis quibusdam, sicut in inuentione furtorum, in deprehensione latronum. unde constat, quòd spiritus, quibus innituntur magi, aut sunt ignorantes, aut inuidi, quia aut non possunt, aut nolunt impertiri suis nisi hæc minima, & inutilia, unde non

sunt boni spiritus. Itē quintò, cōstat quòd boni spiritus nō delectantur, nec utuntur præstigiis, aut mendaciis: Magi autem plerunque ludificant homines, & decipiunt. Item utuntur in suis operibus & incātationibus non solùm mendaciis, sed impossibilibus quibusdā imprecationibus. comminantur enim impossibilia, ut q̄ deponant sidera, quòd uertant cęlū, aut solem retro, ut narrat Porphyrius in epistola ad Anebriotem, & multa huiusmodi uana inueniuntur inter artes magicas, quæ manifestè conuincunt non esse à Deo, neque à bonis
15 angelis. Secunda conclusio, Magi* in suis operationibus nonnunquam utuntur facultate solùm naturali Hæc propositio probatur, Quia, ut suprà dictum est, aliqua est magica naturalis ad operandum mirabilia, & maximè utuntur herbis Magi uulgo ignotis, quæ continent præsentanea & efficacia remedia contra morbos, & alios effectus mirabiles habent, ut de corio cesia, & calicia herba, qua aquam glaciari refert Plinius libro 24. cap. 17. ex his enim ortum habuit magica, ut Plinius dicit 3. lib. cap. 1. Item de menarde, cuius succo protinus ictus serpentum sanantur: & uarias, & multiiugas herbas refert Plinius, quibus Magi utuntur, uel ad morbos depellendos, aut etiam inferendos, quæ cum sint aliis ignotæ, & uelocissimæ operationis,

pro

pro miraculo ab omnibus habentur. Potuerunt autem magi huiusmodi uirtutes herbarum scire, uel traditione magnorum in medicina uirorum: quales fuerunt Pythagoras, Democritus, Empedocles. Aut etiam dæmone reuelante, qua reuelatione semel facta, sequentes Magi uti potuerunt naturaliter, & sine cõcursu nec boni nec mali spiritus. Et uulgares magi plurimùm hac ratione imponunt hominibus, & decipiũt uanos homines. Cùm enim aliquid huiusmodi mirabile quidem, sed reuera publicum & naturale præstãt, pollicentur multa alia maiora, & mirabiliora, quæ tamen rarò implent. Sexta propositio, "Operationes *Magorum supra facultatem naturalem malorum dæmonum potestate & uirtute fiunt. Hæc patet ex superioribus. nam si huiusmodi opera excedunt facultatem naturalem, & nõ possunt referri in bonos spiritus, necesse est ut referantur in malos. Et hæc est sententia sancti Thomæ de potentia, & contra Gentiles, ubi suprá. Et est determinatio Origenis homilia decimatertia Numeri. & libro tertio in Iob. & est etiam determinatio sanctorum, ut Augustini, secundo de doctrina Christiana, & tertio de trinitate, & multis aliis locis prolixè disputat, & ostendit, quem uide. Ad argumenta in contrarium. Ad primum, quod est principale, respõdetur, quòd

S. Thomas. *Origenes.* *Augustinus.*

quamuis ita sit, ut dictum est, quòd eadem opera possunt fieri à magis & à non magis, tamen non est difficile intelligere differētiam inter magum & non magum. Et primum omnium, quantùm ad acquisitionem facultatis, qua aliquis operatur huiusmodi mirabilia, si enim habetur facultas per modum disciplinæ & artis, hoc est, per libros, aut præceptores, manifestum est illam facultatem non esse gratiam gratis datam, sed si non excedat facultatem rerum naturalium, potuit esse peculiaris aut secreta medicina, aut si excedat facultatem naturalem, sequitur quòd est uera ars magica & dæmoniaca. Item, si tales utantur uerbis ignotis, aut etiam certis characteribus, aut aliis uerbis non spectantibus ad effectum, qui speratur aut quæritur ex tali operatione, manifestum est non esse gratiam, sed magicā. Item, etiam si utantur signo crucis, & solis uerbis sacris & religiosis, tamen si sint ritus & obseruantiæ peculiares & determinatę, ut certis horis, ad certum situm stellarum, sub certo numero crucium, candelarum, ita ut non speret efficaciam operis aliter, nec alio modo, certum est non esse gratiam, sed magicam. Item, si utuntur actibus & factis indifferentibus ad effectum, etiam est magica. Vt si ad expulsionem dæmonum radunt pilos, aut capillos, aut aliquid huiusmodi, est magica manifesta

festa. Hæc omnia patent. nam ueri sancti, qui gratiam Dei habent, nunquam utuntur talibus ritibus & obseruationibus. ergo signum & argumentum efficax est, quòd qui huiusmodi utuntur, non operantur ex gratia, sed ex uirtute dæmonum, nec gratiæ per disciplinam & artem possidentur. sed, ut ait Apostolus, omnes gratias operatur unus & idem Spiritus, diuidens singulis prout uult: magi autem alii ab aliis accipiunt aut artem, aut facultatem. Et licet bona, aut mala uita non sit omnino efficax argumentum, an uirtus faciendi huiusmodi mirabilia sit à Deo, uel à dæmone, tamen est magnum indicium: unde qui hæc operantur, si prorsus sint homines improbatæ uitæ, credendi sunt potiùs malefici, quàm gratiarum possessores. Et sic ad tertium argumentum, quod uidetur maius, respondetur primò, quòd non est negandum, quin boni angeli communicent aliquando suam potestatem ad præstandum hominibus beneficia. sed hoc faciũt, non sicut magi ad ostentationẽ, uel sicut dæmones, ut colãtur ab hominibus, sed solũ ex charitate hominum, & ut Deo soli gratiæ habeantur & referantur: & ideo faciunt occultè regulariter, licet etiam uisibiliter aliquando aliquid tale faciant, ut de Raphaële apud Tobiam, qui illo

modo

modo, quo Magi solent, usus est corde & felle & iecinore piscis ad expellendum & reiicien dum dęmonem à domo Raguelis, & postea ad restituēdū oculos Tobię. In quo uno facto satis intelligitur, & posse bonos angelos præstare omnia, quæ mali dant, & uelle si ita expediat. Nec est dubitandum, quin multo plura beneficia recipiant homines à bonis angelis, etiam in ordine ad temporalia bona, quàm ab omnibus magis. Et primùm cùm sancti angeli sint de numero beatorum, fortasse nūquam se miscet rebus humanis, & terrenis, nisi speciali mādato Dei: & ideo omnia beneficia, quæ homines recipiunt, quæ uidētur esse supra spem, & facultatem naturalem, omnia tribuuntur particulariter Deo authori, siue sint immediatè à Deo, siue mediantibus Angelis. Imò hîc ponitur una causa, cur angeli non operentur uisibiliter & apertè, ne pro diis ab hominibus colantur. facilè enim homines diuinitatem irrogarēt illis, quos mirabilia operari conspiciunt, ut Actuum 14. in Lycaonia cùm Paulus Lystris claudum quendam in nomine Iesu sanasset, homines uolebant Paulo tanquā Deo sacrificare: quod maius periculū esset de angelis, qui tam propè uidētur accedere ad dignitatem, & ideo soliciti sunt, ne hanc occasionem præbeant hominibus. Vnde cùm Ioānes

Apocal.

(Apocal.19.)uidisset angelum,& corruisset ut adoraret eum, Vide, inquit, angelus ne feceris, conseruus enim tuus sum & fratrum tuorum. Et per hoc patet ad quartum & quintũ & sextum. Fatemur enim, quòd boni angeli flectũtur precibus & sacrificiis bonorum,& opera illorum dissolui maleficia & prestigia malorum angelorum, & multo maiora cõtingere bona, quàm sit reuelatio alicuius thesauri aut furti. Et ita tenendum est tanquã certum, quòd magicę artes utuntur dæmonũ uirtute & authoritate,& non bonorum angelorum in suis maleficiis. Ad solutionem secundi argumẽti, quę oblita est de salutatoribus, certè non satis mihi constat quid sentiendum, aut pronuntiandum sit, cùm uideamus ex maiori parte esse homines minùs probatæ uitę, & etiam uti aliquibus obseruationibus, non quidem adeo superstitiosis, sed nec satis religiosis, multùm uereor, ne sint impostores, & nullam efficatiam habeant,& si qua habent,ne illa sit potiùs à dæmone,q̃ à Deo. Sed hæc dico non diffiniẽdo. nam gratiæ dantur propter bonũ commune. Fieri potest, ut Dominus illã misericordiã uelit impartiri hominibus per istos, qualescunq; sint isti. Vel potest dici de istis hominibus, sicut de Psyllis scribunt authores, qui sunt populi Lybiæ prope Garamantas, quorum corpori ingenitum fertur exitiale uirus serpentibus *Apocal.* 19.

bus, ut ait Plinius libro septimo, capite secundo uel tertio. ita ut odore suo sopirent eos. Et Plutarchus in uita Catonis scribit, cùm exercitum in Africam traiiceret, Psyllos secum habuisse contra serpentum uim & perniciem. Fortè ergo in istis similiter est aliquid contra canum rabiem. Simile etiam de Psyllis scribit Varro fuisse in Hellesponto serpentum ictus contactu leuare solitos, & eandem uim dicuntur habere Marsi in Italia. Sed remanet unum dubium, An* animæ defunctorum, maximè quæ sunt de numero damnatorum, misceant se magicis artibus & operibus. Et uidetur quòd sic. Primò, quia sunt eiusdem malitiæ cum dæmonibus, & ideo uidentur moliri & conari ad decipiendum homines, & tradendum in perditionem, sicut ipsi dæmones. Item, quia non rarò dicuntur intrare humana corpora, & apparere, & loqui hominibus, & magi dicuntur reuocare animas ab inferno, imò maga illa Phytonissa reuocauit animam Samuelis etiam à limbo. ergo. Respondetur ad hoc dubium, quòd sine dubio animæ defunctorum nunquam se miscent operibus magorum. Hoc probatur primò, quia de sanctis animabus, quamuis certum sit, q posint liberè descendere à cælo in terram, & & iuuare mortales, ut sanctus Thomas dicit in quarta, distinctione quadragesima quin

17

S. Thomas.

ta,

ta, articulo tertio. tamen hoc non faciunt ad inuocationem, aut incantationem magorum, sed ex propria bonitate, uel ex permissione particulari diuina, sicut aliquando etiam inueniuntur uisibiliter apparuisse, ut Augustinus narrat de Felice martyre, & plura exempla ponit Gregorius quarto dialogorum, licet hoc non habeant ex natura sua. non enim possunt assumere corpus, nec mouere. Animæ uerò, quæ sunt in purgatorio, exire à loco non possunt, & si aliquando permittantur ex peculiari gratia, ueniunt potiùs ad petendum suffragia uiuorum, quàm ad miscendum se operibus magorum, imò nec mortalium prorsus rebus. Nec satis puto constantem, & religiosam consuetudinem, quæ cœpit corripere homines, ut in necessitatibus sperent præsidium animarum in purgatorio existentium. De animabus autem inferni non est timendum ne possint prodesse, aut obesse hominibus, quæ scilicet perpetuo sint carceri mancipatæ, nec possint etiam dæmonibus adiuuantibus inde exire. Et quamuis aliquæ apparitiones huiusmodi ferantur, probabilius puto, quòd nunquam anima semel damnata egressa est locum inferni. Cùm enim exire non possint, nisi ex mandato Dei, non est cur credamus hanc licentiam à Deo habere, maximè cùm legamus historiam de diuite illo

Luc.16. illo Luc.16.qui nec ad fratres quidem liberandos,ne uenirent in locum illum tormentorũ, permissum est redire ad mortales. Atq; omnino ita credendum est apparitiones istas, quæ referuntur,cùm sint pro maiori parte falsæ,tamen si quæ uerę sint,esse ab ipsis dæmonibus, nec habẽdam esse fidem de istis dictis eorum, qui asserunt se ab inferno uenire,etiam si alioS.Thomas. qui uideantur pia & religiosa monere.S.Tho. p.p.q.117. artic. 4.ad secundum,citat August. 10.de ciuitate Dei. & Chrysost. super Matth. dicentes,quòd dæmones frequenter simulant se esse animas mortuorum,ad confirmandum errorem Gentilium, qui hoc habebant. ideo cauendum est ab illis uisionibus. Sequitur iã,ut dicamus in particulari,quid possint Ma

18 gi,& sit quinta quæstio in ordine, An * Magi possint miracula facere, & uidetur quòd sic. Primò, quia suscitare mortuos est miraculum. unde inter miracula Christi ponuntur.

Matth.11. Matth. 11. Euntes renuntiate quæ audistis & uidistis,Cæci uident, claudi ambulant, mortui resurgunt,pauperes euangelizantur.Sed & Phytonissa suscitauit Samuelem.2.Reg.28.ergo possunt miracula facere.Et cõfirmatur,Ad suscitationem mortuorum non uidetur requiri nisi dispositio materię. nam disposita materia,necessariò introducitur forma:sed uidetur quòd dæmones possint disponere materiam,

applican

applicãdo actiua pasiuis. Eiusdem enim rationis sunt dispositiones in resurrectione mortui, & in prima generatione, quę sunt ab agẽti naturali. ergo magi dæmonis uirtute possunt mortuos suscitare. unde & resurrectio generalis futura est per angelos ministros. Item secundo, Maius miraculum uidetur, quòd canis loquatur, uel cantet, quàm quòd mutus loquatur: sed de Simone mago legitur, quòd faciebat canes loqui, & cantare, ut patet in itinerario Clementis. ergo. Item Valerius maximus narrat primo libr. c. 8. quòd fortunę simulachrũ, qđ Romæ erat in uia Latina, nõ semel, sed bis loquutũ est uerbis his, Ritè me matronę uidistis, riteque dedicastis. quòd autem lapides loquantur, maius miraculum est, quàm quòd muti loquantur. Item in eodem, & in historia Romana legitur de uirgine uestali, quòd aquam in uase perforato de Tyberi portabat, aqua non effusa: hoc autem spectat ad miraculum, ut aqua stet, & non fluat in Iordanis diuisione, & eius statione. ergo. Item aduersitates Iob dæmone authore procuratæ sunt, quò dpatet ex eo, quòd Deus dedit potestatem in omnia quæ erant Iob: sed huiusmodi aduersitates non sine miraculo contigerunt, ut patet de igne de cælo descendente. unde & 3. Regum. 18. Elias in hoc probauit

prophetas Baal, ut descenderet ignis de cęlo, & consumeret sacrificium. ergo. Item eadem quæ boni faciunt per miraculum, magi faciũt, ut serpẽtes Moysi, & magorũ. ergo. Septimò, Vxor Lot mutata est in statuam salis. Gene. 19. & hoc à dæmonibus. ut S. Thom. dicit de malo, q. 16. & q. 9. ad tertiũ. ergo. Pro solutione notandum, quòd miraculi nomen à miran do est assumptum. Ad admirationem autem duo cõcurrunt, ut potest accipi ex uerbis Phi losophi in principio Met. quorum unum est, quòd causa illius, quod admiramur, sit occulta. Secundum est, quòd in eo, quod miramur, sit, uel appareat aliquid per quod uideatur contrarium debere contingere, quod miramur. Sicut aliquis posset mirari, si uideret ferrum ascendere ad magnetem, ignorans eius uirtutem. Sed hoc potest dupliciter contingere. Vno modo secundum se, alio modo quo ad nos. Virtus autem diuina est simpliciter occultissima, & remotissima à nobis, quæ in rebus omnibus operatur secretissimè: & ideo ea, quæ per aliquam uirtutẽ creatam fieri possunt, miranda quidem, & mirabilia dicuntur. Sed miracula propriè dicuntur, quæ sola uirtute diuina fieri possunt, quæ scilicet tota natura creaturarum miratur. Et licet miraculi nomine Latini utantur ad significandum

Gene. 19.

quod

quoduis ſtupendum, ac mirandum: tamen theologi ſolùm illud in hac ſignificatione uſurpant, & meritó. Ideo reſpondẽdo ad quæſtionem ſit una concluſio, licet Auguſt. tertiò de trini. & alibi non timet uocare opera magorum miracula: ſit (ut dico) una concluſio, 19 Magi * non poſſunt miracula facere. Probatur primo ex ipſa ſignificatione uocabuli, ut dictum eſt. nihil enim faciunt, ad quod diuina uirtus exigatur. Secundò, quia ſi magi poſſent uera miracula facere, ſequeretur quòd miraculum non eſſet efficax argumentum deitatis, & ueritatis, & ſic periret ratio confirmandi ea, quæ ſunt fidei, quæ miraculis comprobata ſunt. Ad argumenta in contrarium. Ad primum de Samuele reſpondetur, q̃ dubium eſt, an uerè Samuel fuerit ſuſcitatus, an potiùs fuerit aliquod phantaſma. & Auguſtinus quidem ad Simplicianum putat probabile, quòd fuerit uerus Samuel, qui apparuit Saüli, & nuntiauit ei euentum belli, propter hoc, quòd legitur Eccleſiaſtici 4. quòd dormiuit Samuel, & notum fecit regi finem uitę ſuę. Hoc ergo tenendo diceremus, ut dicit Auguſti. quòd non dominante arte magica, ſed diſpoſitione dei occulta, que Phytoniſſam, & Saülẽ latebat, permiſſum eſt, ut ſpiritus iuſti ſe oſtẽderet aſpectibus regis, diuina eũ ſententia percuſſurus. Nõnunquã enim Eccleſiaſt. 46

dum dæmon consulitur, ipse Deus per suum nuntium ueritatem annũtiat, sicut per Eliam ueritatem respondit nuntiis regis, qui mittebantur ad consulendum deum Accaron, ut habetur 4. Regum 1. Ad confirmationem dico, quòd sine dubio dæmones non possunt disponere materiam ad introducendum animam, quæ semel separata fuit: requiritur enim identitas temporis ad identitatem indiuidui, & ideo semel corruptum, non potest idem numero redire, nec solùm hominem, sed nec muscam possent dæmones suscitare. Vnde si quæ resuscitationes mortuorum leguntur à magis factæ, ut ab Apollonio, Simone, uel aliis, omnes fuerunt præstigiosæ, & non secundum ueritatem, ut de Simone summo magiæ artifice legitur, quòd apud Phoram Ephesi oppidũ prẽsente Ioanne euangelista, tres mortuos suscitauit, sed paulo pòst omnia euanuerunt tãquam fallacia, & præstigiosa. unde Sanctus Thom. 3. senten. d. 21. q. 2. articu. 4. q. 2. ad quartum dicit, quòd ea quæ dæmones faciunt præter uiam naturæ, non sunt diuturna. Ad secũdum respondetur, quòd loquutio canum, & alia huiusmodi potuerunt fieri à magis per illusionem sensuum, & non per effectus ueritatis. Si tamen per ueritatem factum est, non dabat cani dæmon aut magus uirtutem loquendi, sicut datur mutis per miracu-

lum,

lum, sed ipsemet dæmon sonum literarum, & articulatæ uocis similitudinem habentem format, sicut & asina Balaam intelligitur fuisse loquuta, angelo bono operante. & similiter dicendum est ad tertium de locutione. Ad quartum respondet S. Tho. de potentia quæstio. 6. articu. 5. quòd non dubium est quin in commedatione castitatis Deus uerus per suos angelos bonos huiusmodi miraculum per retentionem aquæ fecisset: quia si qua bona in Gentilibus fuerunt, à Deo uero fuerunt. Si autem, quod propius uero est, per dæmones factum fuit, nullum est miraculum: dæmones enim possunt mouere localiter, & sistere corpora, ut infrà dicetur. Ad quintum dicitur, q; dæmones sua naturali uirtute applicando actiua passiuis, possunt conflare ignem in media regione aëris, & inde concitare deorsum in terram. Et sic factum est in tentatione Iob. Ad ultimum dicitur, quòd uerè ita est, quòd idem opus factum à bonis & piis hominibus, est miraculum, quod idem à mago non est. Nam homo non potest, nec nouit applicare actiua passiuis, nec semina, nec causas occultas naturæ ad conficiendum celeriter & subitò effectum aliâs naturalem. & ideo non potest hoc facere nisi uirtute diuina: dæmones, qui omnia naturalia optimè nouerunt,

possunt utendo causis naturalibus hæc eadem subitò facere. Vnde quòd Aaron conuerteret uirgam suã, & similiter quòd uir sanctus det sanitatem subitam alicui, miraculum est: quod idem magus sine miraculo potest facere, scilicet dæmone adiuuante, & causas naturales quidem, sed hominibus occultas, applicante. Vnde August. 3. de trinitate, c. 9. Illa, quæ per angelos fiunt, quo difficiliora, & ignotiora, & mirabiliora sunt nobis, illis autem tanquam suę actiones notæ, atque faciles, sicut etiam ibidem ait Augusti. Solennia & usitata fulgura miracula non sunt, sed cum in monte Sinai inusitato modo fierent, miracula erant.

20 Quæstio sexta est, An * magi possint cogere dæmones pro suo arbitrio. Et uidetur q; sic. Vt enim narrat Augu. 10. de ciuitate dei, Porphyrius refert se uidisse, quòd quidam uir Chaldæus tactus inuidia, abiuratas spirituales potentias precibus alligauerit, ne ab alio postularent, uel postulata concederent. & in 21. eiusdem libri dicit, Non potuit primum nisi dæmonibus docentibus disci, quòd quisque illorum appetat, quod exhorreat. ergo cogatur, &c. ex quo uidetur, quòd sint aliquæ incantationes, quibus dæmones cogãtur. Item Iosephus de antiquitatibus libro 8. scribit, quòd Salomon instituit incantationes,

nes,& modos coniurationum,quibus obstricti dæmones ne denuo redeant, effugantur. & ipse Iosephus dicit se uidisse Eleazarũ quẽdam, qui præsente Vespasiano, & eius filiis, usus adiuratione Salomonis,& radice à Salomone monstrata,dæmones expullit ab obsesso,cuius operis argumentum dedit,quòd calicem aqua plenum ante eos posuit,& dæmoni imperauit, ut egressus ab homine, illum euerteret,quod & factum est.Item tertiò,cùm dęmones sint superbissimi, non est probabile,quòd nisi cogerentur, aduenirent ad minas,& terrores,& mendacia incredibilia, quæ multùm derogant excellentiam & sapientiam ipsorum dæmonum.unde & Augu.10.de ciui. introducit uerba Porphyrii sic dicentis,Quid est homo?uitio cuilibet obnoxius intẽdit, minatur,eósque territat,& cælũ se collidere minatur,ut eis ueritatẽ extorqueat,ut illi dii tanquam iussi promptissimè falsis,& ridiculosis comminationibus territi,que imperauit efficiant.Item quarto,Nisi dæmones cogerẽtur, non allicerentur per quædam,quod ipsi oderunt,sicut per uirginitatem imprecantis, cùm tamen ipsi ad incestos concubitus homines inducere conentur. Item quintò,Saltem uidetur, quòd si magi utantur uerbis sacris, ut in nomine Iesu, & uirtute crucis, Iuxta illud ad Philippen.2.In nomine Iesu

August.

Philippẽ.2.

omne genu flectatur, quòd dæmones cogantur. Nam certum est quòd dæmones oderunt illa nomina, & abominantur gloriam Christi. ergo si possent non uenire, & non respondere mago, nunquam responderent, & tamen aliqui magi dicunt se solùm uti uerbis sacris, & efficaciter operari: & mulierculæ utuntur solùm signo crucis ad curãdum certas infirmitates, de quibus non creditur, quòd habeant gtatiam sanitatis, sed quòd sint maleficæ. ergo. Pro responsione sit prima propositio, Dæmones* cogi possunt aliquando & coguntur multoties ab hominibus. Probatur, quia inter gratias gratis datas datur potestas super dæmones, ut patet ex illo Marci ultimo, In nomine meo dęmonia, &c. Item secundo patet, quia apostoli, & sancti uiri sæpe dæmones expulerunt ab obsessis: & certum est, quòd inuitos. non enim dæmones, si possent, darent operam ad gloriam & manifestationem nominis Christi, & eius religionis. Et etiam legitur sanctos uiros imperasse dæmonibus aliquando ad aliqua opera. ergo. Secunda propositio, Ab * angelis etiam possunt cogi dæmones, & aliquando coguntur. Et hoc primum probatur, quia angeli possunt uirtute diuina coërcere dæmones, sicut sancti uiri possunt. ergo. Item po-

21

22

testate

teſtate naturali, ſaltem angeli ſuperiores, qui, ut ſtatim diſputabitur, habent poteſtatem naturalem ſupra inferiores. unde, ut ait ſanctus Tho. de potentia, q. 6. ar. 10. ad ordinē poteſtatum pertinet arcere dæmones. Et ita nō eſt dubitandū, quin angeli cuſtodes ſemper prohibeāt dęmones accedere ad ſuos clientes, ne noceant eis, & præſides prouinciarum impediāt frequenter dæmones à detrimētis & nocumētis, quę cuperēt & poſſent inferre ciuitatibus, & agris, & fructibus, & aliis mortaliū bonis.

15 Tertia propoſitio, Ad * coërcendū dæmones uirtute diuina aut angelica, multùm refert, quibus uerbis aut ſignis homines loquantur, aliâs utantur, etiā ſi loquamur de uerbis ſanctis aut ſacris ſignis. Probatur, nā cùm eccleſia habeat ex authoritate Chriſti poteſtatē ſuper omnia dæmonia, multùm intereſt ad coërcendos malignos ſpiritus uti uerbis & exorciſmis ab eccleſia inſtitutis, quę ſine dubio maiorē uirtutem habent, quàm quęcūq; alia uerba & ſigna. Sicut etiam exorciſtę ab eccleſia inſtituti maiorem poteſtatē habent ad expellendos dæmones, & aqua benedicta ſecūdū ritum eccleſiæ, quàm ſi aliis uerbis eſſet benedicta, aut conſecrata. pro certo enim pro authoritate, & reuerētia eccleſię credendū eſt, quòd Deus ſiue per ſe immediatè, ſiue per angelos ſuos, concurrat ad talem inuocationem. Quarta pro-

24 positio, Nulla* uerba, nec exorcismi habẽt infallibilem efficaciam ad cogendum dæmones, & arcendum illos, ita ut semper sortiantur effectum suum. Probatur, quia cùm uerba, aut signa non habeant talem efficaciam ex natura sua, sed solùm uirtute diuina, aut angelica, non alligauit Deus potestatem suam ex lege sacramentalibus uerbis, sicut sacramentis, sed operatur quando sibi placet ad gloriam suam, & utilitatem credentium, & multùm facit ad hoc pietas & fides ministrorum. Idem dicendum est de reliquiis sanctorum, & signo crucis, & cætera. Vnde aliter habent sacramenta effectum, aliter sacramentalia. Vnde Actuũ decimonono dicitur de filiis Sceuæ, quòd inuocabant nomen domini Iesu super eos, qui habebant spiritus malos, dicentes, Adiuro uos per Iesum, quem Paulus prædicat. Respondens autem spiritus malus dixit, Iesum noui, & Paulum scio, uos autem qui estis? Et insiliens inualuit contra eos. Quinta propo-
25 sitio est, Magi * aliquando possunt cogere dæmones. Probatur, quia dæmon superior habet potestatem coërcendi dæmonem inferiorem, reiiciendo, aut expellendo illum. Et hoc est, quod Iudæi calumniabantur de Christo, In Beelzebub principe dæmoniorum eiicit dæmonia. Quam calumniam Christus non ita confutauit, quasi hoc esset impossibile,

sed

ſed aliis rationibus & argumentis. Nec Iudæi tantùm imponebant Chriſto magum eſſe, ſed, ut refert Auguſtinus libro primo, de cõſenſu euangelii, capite nono. pagani ita dicebant, & obiiciebant Chriſtianis, Chriſtum magicis artibus illa mirabilia patraſſe, de qua re libros ſcripſiſſe & reliquiſſe. Sexta quæſtio, Magos
16 *nunquam puto cogere dæmones, niſi iſta ratione poſita in prȩcedenti cõcluſione. Probatur, quia magi utuntur uerbis, & ſignis, & applicatione herbarum, aut aliarum rerum naturalium: ſed omnia iſta non poſſunt cogere dæmones, quia non eſt poteſtas quę comparetur ei. Iob quadrageſimo primo. Ergo ipſe magus, aut per ſe, aut ratione rerum, quibus utitur, non poteſt cogere dæmones. Item, ut arguit S. Thomas, uerba de ſe, ſecluſa ſignificatione, nullam efficaciam habent, niſi fortè inauditam, inquantum aut ſunt ſigna, ſolùm poſſunt mouere intellectum in ratione obiecti, quare non poſſunt efficaciter, & infallibiliter cogere dæmonem. nulla enim ſigna poſſent cogere hominẽ, qui tamẽ eſt multo imperfectior angelo, ſiue bono, ſiue malo, & intellectu & ſubſtantia. Septima concluſio, Magi
17 *habentes fœdus cum aliquo dæmone principali, poſsũt cogere inferiores dæmones, nõ autẽ ipſum principalẽ dæmonẽ: nõ habẽtes autẽ tale fœdus, nullo modo poſsũt cogere ullum

dæmonem

dæmonem: sed dæmones uoluntariè concurrunt ad operationes magorum. Hæc sequitur ex superioribus. Confirmatur, quia magi sæpe deficiunt in suis operationibus, ut ipsimet fatentur, & seruato toto ritu & cęremonia magica. ergo manifestum est, quòd non cogunt dæ-
28 mones. Tertia conclusio, Tota* opera & efficacia magorum fundatur & nititur in condito & pacto inito & firmato cum dæmonibus. Ista sequitur ex præcedentibus. Nam si dæmones non coguntur, & respondent, & ueniunt ad inuocationes magorum & aliorum hominum, manifestum est quòd hoc non potest fieri, seu prouenire, nisi ex mutua conuentione & fœdere magorum & dæmonum, ut clarissimè patet. Ad argumenta autem in contrariũ. Ad primum patet, quòd ille Chaldæus habebat pactum cum aliquo dæmone excellentiore, & uirtute illius poterat coërcere dæmones inferiores: & Porphyrius fortasse putabat maiorem uim inesse magicis incantationibus. Ad secundum respondet S. Thom. quòd si Salomon instituit exorcismos tempore quo erat dilectus Deo, potuerunt illæ incantationes habere aliquam uim ex institutione illius, sicut possent habere adiurationes institutæ ab aliquo sancto uiro, sicut habent maiorem uim adiurationes ab ecclesia institutæ. Deus enim ex meritis & orationibus sanctorum

rum occurrit ſpecialiter cum operibus illorũ. Si autem Salomon illos exorciſmos ordinauit poſtquam receſsit à cultu, & religione Dei, dicendum eſt de illis exorciſmis, ſicut de aliis incantationibus magicis. Ad tertium dicendum, quòd dæmones ueniunt, & illis mendaciis & uaniſsimis commentationibus alliciunt homines, ut confidant in mendaciis & fabulis, quomodocunque utantur adiutorio dæmonum. Ad quartum dicitur, quòd dæmones aduenium ad nomen & titulum uirginitatis, ut ſuadeant hominibus eos amare uirginitatem, quaſi ſit argumentum excellentiæ & munditiæ eorum. Ad quintum reſpondetur primò, quòd rarò, aut nunquam magi utuntur ſolis uerbis ſacris, ſed ſemper miſcent alia uerba, aut ritum, & cæremoniam ſuperſtitioſam. Sed ſi aliquando utuntur ſolis uerbis ſacris, hoc dæmones faciunt, ut uani homines putent eos non excluſos & alienos à religione Chriſtiana. Vel fortaſſe aliquando dæmones coguntur etiam à magicis, uirtute tamen diuina, propter reuerentiam uerborum ſacrorũ, ſicut ſuprà diximus, quòd mali etiam aliquando faciunt miracula. Vnde Caſiodorus dicit libr. 6. tripartitæ. capi. 1. quòd cùm magus quidã perduxiſſet Iulianũ apoſtatam ad quẽdam locum Senatus, tamen illic aduocati dæmones apparuiſſent, terrore

com

compulsus Iulianus, frontem signo crucis muniuit, quo uiso, dæmones repente disparuerunt, quod ualde mirandum est etiam ab homine apostata. ¶ Dubitatur circa conclusiones, & maximè contra ultimam. nam multi bona fide utuntur magicis incantationibus, & adiurationibus, qui nec uolunt, nec uellent aliquod commercium habere cum dæmonibus. Et si putarent dæmones quocunque pacto interesse, aut dare fauorem suis operationibus, nulla ratione illis uterentur, sed prorsus abhorrerent, & cessarent à tali usu & negotio. ergo uidetur, quòd efficacia magorum seu magicarum artium non sit semper ex instantia & commercio dæmonum, sed quòd in ipsis ritibus & operationibus magorum sit aliqua mala uirtus & efficacia. Respondetur, ut ait Augustinus secundo super Genesin, ad literam, quòd dæmon semper miscet se hominum operibus, illis ignorantibus & nolentibus, & sic sæpe contingit in istis superstitiosis rebus: homines enim, & maximè fœminę stultę bona fide utuntur huiusmodi rebus & uerbis ad remedia infirmitatum, & sine dubio dæmones assistunt operationibus illorum, ut decipiant, & persuadeant confidere in rebus uanis, & hoc est fœdus tacitum cum dæmonibus, ut Augustinus ibidem dicit. Vnde etiam est notandum, quòd licet

Aug

Augustinus dicat, quòd non potest sciri, nisi ipsis docentibus, quibus signis, aut rebus dæmones alliciantur: tamen pro certo dæmones miscent se, & adueniunt quibuscunque superstitionibus, ac intelligũt homines confidere, & maximè si ex intentione uellent inuocare dæmones. Ex quinta quæstione, ubi dictum est, quòd magi fauore, & uirtute superioris dæmonis possunt cogere inferiores, erit unum dubium, An * superiores dæmones habeant aliquam potestatem in inferiores. Et uidetur quòd non: nam in dæmonibus non sunt aliæ potentię, nisi intellectus & uoluntas, sed illæ non sunt potentiæ actiuę ad extrà, ut Philosophus uidetur dicere nono Metaphysicorum. Et patet exemplo in hominibus, ubi intellectus & uoluntas nunquam agunt ad extrà, nisi mediante aliqua potentia. ergo uidetur, quòd dæmones non habeant aliquam actiuitatem super alios dæmones. Item, quia uel illa potestas esset naturalis, aut gratuita: non secundum, ut constat. ergo si esset naturalis, sequeretur, quòd dæmones perfectiores in naturalibus haberent potestatem naturalem super alios angelos imperfectiores in naturalibus. hoc est inconueniens, ergo. Item tertiò, Si aliquid possent superiores in inferiores, maximè uideretur quo ad motũ lo

calem

calem.non enim apparet quid aliud posſint im primere ſuperiores in inferiores. Sed hoc non uidetur,ergo nullam habent poteſtatē. Proba tur minor, quia dæmones, ſicut angeli, non ſunt in loco niſi per operationem: ſed in dæmonibus non eſt alia operatio,niſi intellectus & uoluntas, ad quas cogi non poſſunt. ergo non apparet quomodo dæmones ſuperiores poſsint cogere inferiores ad motum localem. Pro reſponſione eſt prima quæſtio,Dæmones
30 * ſuperiores poſſunt cogere inferiores. Hæc probatur primò, quia dæmones inter ſe habēt prælationes & principatus,ſaltem ex nequitia & concordia illorū. Ex odio enim & inuidia, qua tenentur erga homines, non eſt dubitandum quin percuſſerint fœdus, & inter ſe conſtituerint ordines & ſocietates ad iſtum finē, S.Thomas. ut homines perdant:& ſic,ut ait S.Tho.p.p.q. 109. artic.2.aliqui dæmonum ſunt præfecti,& uelut principes ad imperandum aliis, & inferiores dæmones ſe ſubiiciant illis,quos poten tiores uiribus uident ad propriam nequitiam Luc.11. exequendam. Et ideo Chriſtus Lucę 11.uocauit ſocietatem regnum. Omne, inquit,regnū in ſe diuiſum, deſolabitur: & ſi ſatanas ſatanā eiiciat, quomodo ſtabit regnum eius?Iſte eſt ergo unus modus, quo ſuperiores dæmones poſſunt inferiores cogere, ſcilicet per imperium,cui inferiores reſiſtere non ualent ex cō-

mun

communi concordia. Secundo etiam ex naturalibus ſuis hoc poſſunt, quia ubicunque ſunt res ſubordinatæ, oportet quòd etiam actiones ſubordinentur ſibiinuicem. Sicut patet in rebus corporalibus, quia enim inferiora corpora naturali ordine ſunt inter corpora cæleſtia, actiones, & motus eorum ſubduntur actionibus, & motibus corporum cæleſtium. Sed manifeſtum, quòd inter dæmones aliqui ſunt ſuperiores ex naturalibus. ergo habent poteſtatem naturalem ſupra inferiores. Et confirmatur, quia dæmones habent poteſtatem mouendi localiter animas, & alligandi. ergo eadem ratione habebũt poteſtatem ſupra dæmones inferiores: & iſte eſt alius modus, quo ſuperiores angeli poſſunt coërcere inferiores. unde San. Tho. 3. p. q. 43. arti. 2. ad tertium, dicit, quòd dæmones ſuperiores ſua naturali uirtute poterãt, & de facto aliquando pellunt dæmones à corporibus. Auguſtin. 21. de ciuit. dicit, quòd dæmones Nigromantiam poteſtate ſuperiorum dæmonum alligant aliquibus imaginibus, uel annulis, aut aliis rebus. Et S. Tho. de anima. q. 21. dicit, quòd aliqua ſubſtatia ſpiritualis alicui corpori alligetur, non eſt ex uirtute corporis potentis ſubſtantiam incorpoream detinere, ſed eſt ex uirtute alicuius ſubſtantiæ ſuperioris alligantis talem ſubſtantiam tali corpori: ſicut etiam arte magica, Deo permittente, uirtute

S. Thom.

Auguſt.

ſuperiorum dæmonum aliqui ſpiritus alligantur annulis uel imaginibus. Idem dicit 4. cõtra Gen. capitulo 90. & multis aliis locis. Et

Palud. Petrus de Palud. 4. d. 44. q. 7. dicit, quòd angelus fortior poteſt ſiſtere & tenere minus fortem. Ad argumenta autem in contrarium. Ad primum reſpondetur, quòd in angelis eſt ſine dubio potentia motiua, ſed illa non diſtinguitur ab intellectu, & uoluntate. Ad ſecundum dico, quòd re uera ita eſt, quòd ex naturalibus aliqui dæmones poſſent obſiſtere angelis, & eos coërcere, ſed non permittuntur à bonitate diuina, & etiam gloriæ dotes ſufficiunt ad reſiſtendum. Ad tertium pro nunc reſpondetur, quòd angelus, aut dæmon poteſt eſſe in loco per paſsionem, ſicut per operationem, & ſic dæmon inferior patitur à ſuperiori, per hoc, quòd applicatur loco, uel expellitur ab eo, ſicut animæ ſunt in purgatorio, aut in inferno, non agendo, ſed patiendo. Sed occurrit ſtatim dubium non diſsimulandum,

31 * Quopacto dæmon ſuperior poteſt tenere inferiorem alligatũ annulo, aut imagini: abſente enim ſuperiore dæmone, non uidetur quo modo poſsit impedire inferiorem ne recedat. Ad hoc reſpondetur primo, quòd profectò uirtute naturali non poteſt alligare inferiorem, ita ut eo abſente alius deſcendere non ualeat. Secundo dico, quòd poteſt cogere illo mo

lo modo, ut si discesserit, retrahat ad eundem locum. Tertio dico, quòd potest cogere ad remanendum in imperio, cui inferior, ut dictum est, subiectus est. Quarto dico, quòd non est uerisimile, quòd dæmõ, qui alligatus est annulo, aut imagini, semper sit præsens imagini, sed dicitur alligatus, quia uocatus à possessore annuli, semper uenit, nec indiget tempore ad redeundum ubicunque sit, & ad quamcunque distantiam potest cognoscere quid rerum geratur apud illum, in cuius potestate annulus, aut imago est: sed miseri magi putant se tenere dæmones tanquam compedibus, & ex maxima parte sunt fabulæ, quæ de huiusmodi dicuntur annulis, aut imaginibus.

32 ¶ Septima quæstio, An * magi uirtute dæmonum possint transmutare corpora localiter, hoc est, transferre (ut ferunt) per multa terrarum spatia, summa celeritate. Et uidetur quòd non, quia si corpora obedirent dæmonibus quo ad motum localem, sequeretur quòd saltem quantum spectat ad naturam eorum, possent destruere ordinem, & machinam uniuersi, puta mouere cibum contrario motu, & tollere terram loco suo: hoc non est dicendum, quòd aliqua creatura habeat potestatem supra totam naturam, & possit perdere uniuersum, ergo, &c. Non enim angelis subiecit orbem Deus. ad Hebr. 2. Item si habent illam, Hebr. 2.

poteſtatem, quomodo nunquam liberant amicos ſuos à manibus iudicum? Item arguitur ex d. c. epiſcopi. 26. quæſt. 1. ubi, ut relatum eſt, damnantur qui credunt mulierculas deferri noctu per aëra. Item non apparet quomodo, an impellendo, aut quomodo ſe habendo. Ad hanc quæſtionem ſit concluſio, Dæmones
33 *& magi uirtute dæmonum poſſunt mouere, & transferre corpora de loco ad locum. Pro-
Auguſt. batur primo authoritate Auguſti 3. De trinitate, qui dicit, dæmones adhibere ſemina corporalia ad aliquos effectus producendos: hoc autem non fit niſi per motum localem. ergo, &c. Item angeli mouent cælos, &c. Item patet, Satan concuſsit quatuor angulos domus Iob, quæ corruens oppreſsit liberos eius. Iob. 1. Item patet manifeſtè in obſeſsis à dæmonibus, quos dæmones aliquando inuitos mittunt in ignem, & precipitant deorſum, & iactant, & raptant uariè: nec uidetur alius modus, quo dęmon poſsit occupare humana corpora, niſi ſubiiciendo quo ad motus locales, ut mouendo linguam, aut tenendo alia organa, & membra corporalia. Vnde nulla ratione poteſt negari, quin dæmones poſſint mouere localiter corpora. Item quia angeli mouent cælos, mouent animas. Item aſſumunt corpora frequenter, & apparent in eis. quod non fit ſine motu locali. Ad argu-

menta

gumenta autem in contrarium, ad primum respondetur, quòd nec unus angelus, aut unus dæmon, nec omnes simul possent aut sistere cælum, aut contrario motu mouere, aut terram mutare de loco suo, ut ait. S. Thom. de potentia, q. 16. art. 8. & 3. contra Gen. cap. 108. & ratio est connexio, & ordo uniuersi, contra quem nulla causa particularis potest ex ipso ordine naturali, sicut nec omnium dæmonum artificio posset dari uacuum. Posset enim dæmon tollere aërem de loco ubi est: sed hoc supposito, omnes dæmones non possent obsistere, quominus alius aër succederet in loco prioris. Ad secundum de illo capite episcopi. Iurisconsulti ex illo loco multùm dubitant, utrum ea quę feruntur de istis mulierculis strigibus, an uerè gerantur, an sit sola illusio sensuum. Et uix adduci possunt, ut credant in ueritate mulieres transferri per aëra, & deduci in solitudinem, aut in quemuis locum in societatem hominum, & dæmoniorum. Et quidam frater Samuel ordinis minoris proprio opusculo satagit defendere hanc opinionem, quòd nunquam uerè dæmon transferat huiusmodi mulierculas, sed quòd rapit sensus earum, & relinquit uelut exanimes, & interim illudit, & commouet ita sensus interiores, ut uerè putent illa geri, scilicet se uolare, & uerè commiscri concubitu aut dæmoni, aut alicui S. Thom.

ex ſuo ſatellitio, cum tamen nũ fuerint mutatæ. Et dominus Abulenſ. teſtatur ſe experientiam de hoc ſumpſiſſe, cùm muliercula una ex illo numero coram ſe unxiſſet ſe unguento, ſtatim corruiſſe ſine ſenſu, ita ut titione pedem illius combuſſerit, nec excitaretur, ſed poſt ſpatium temporis cum ad ſe rediſſet, narrabat mirabilia, ſcilicet fuiſſe in campo cum multitudine hominum, & alia, quæ ſolent referri. Sed frater Ioannes Dodo ordinis prædicatorum fecit apologiam contra Samuelem, ubi tuetur ſententiam, quòd licet ita ſit, quòd plerunque iſta fiant à dęmone per ſolum pręſtigium, & illuſionem ſenſuum, tamen aliquando uerè gerũtur. Et ita tenet Turre Cremata ſuper illud c. epiſcopi. Et ita tenendum, quia poſtquam dęmones poſſunt realiter iſta facere, credendum eſt, quòd aliquando uerè faciant. Et hoc exploratum, & compertum eſt multis teſtimoniis, & experientiis. Ad uerba autem c. reſpondetur à Turre Cremata, quòd in illo capitulo multa continentur, quę uerè non gerebantur, ut quòd equitarent cum Diana, cum Herodiade. nam Diana nulla eſt, Herodias autem eſt in inferno, nec permittitur exire ei, nec eſt mulier, ſed ſola anima. Item quòd ueri eſſent ibi equi, aut beſtiæ, quibus per aëra uolarent. Equi enim, & alia, quę ibi continentur, non uerè, ſed pręſtigioſè facta

ſunt,

sunt: non negat autem, quin mulieres possent uerè à dęmonibus portari per aëra.

¶ An *magi possint pro suo arbitrio immutare corpora, immutare inquam alterando secundum qualitates, immittendo morbos, & contrà pręstando sanitatem. Et uidetur quòd non. Nam dęmones, quorum uirtute magi operantur, sunt incorporei, & immateriales: cùm ergo nihil agat nisi in sibi simile, non uidetur qua ratione possint dęmones imprimere qualitatem corporalem in rem materialem. Item sanctus Augustinus, ut suprà citatum est, negat quòd illę incantationes sociorum Vlyssis, & Diomedis, quæ dicuntur à Circe factæ, fuerint uerę, sed solum secundum apparętiam sensuũ. Sed si dęmones possent immutare materiam, eadem ratione possent immutare figuras rerum naturalium, & sic potuissent uerè socios Diomedis & Vlyssis retinere sub figuris ferarum, & uolucrum. Item grauissimum periculum imminet nobis à magis, qui cùm sint socii dæmonum, reputandi sunt tanquam hostes mortalium, si morbos, & mortes possint inferre hominibus: nec est uerisimile, quòd Deus talem potestatem permiserit dæmonibus ad perniciem humani generis. Item si possunt sanitatem præstare, sequeretur quòd possent ab omni morbo sanare, & sic facere homines immortales. De hac quæstione Philosop

losophorum non fuit una sententia. Auicenna quidem posuit, quòd substantia spiritualis, quę cælos mouet, non solum mediante cælesti motu effectus in inferioribus corporibus causat, sed etiam præter omnem corporis actionem: uolens quòd materia corporalis multo magis conceptioni & imperio spiritualis substantiæ, quàm cuique corpori naturali subiiciatur, & ex hac causa prouenire dicit inusitatas permutationes aëris, & infirmitatum curationes, quæ nos miracula dicimus. Et ponit exemplum de anima, ad cuius imaginationem absque omni alio corporali agente transmutatur corpus, & ad calorem & ad frigus, & quandoque ad febrim, uel lepram. Conformiter ad hanc opinionem dicendum esset, quòd substantiæ spirituales, quales sunt dæmones, possent immutare corpora, & alterare imprimendo corporeas formas, & qualitates. Et posset opinio confirmari, quia eiusdem uirtutis uidetur imprimere formam in materiam, & impedire ne imprimatur. Sed hoc dicit magos posse, ut quòd aliquis certis uerbis scriptis non lædatur ab igne, imò isti salutatores hoc faciunt. Item, quia possunt imprimere immediatè & immutare phantasiam, ergo & has formas naturales.

35 ¶ Ad hoc sit prima propositio, Nec* dæmones, nec magi uirtute dæmonis possunt immediatè

diatè imprimere in rebus naturalibus & materialibus aliquam formam, ut calorem, frigus, morbum, aut sanitatem. Hanc propositionem ponit Philosophus 7. Phys. ubi ostēdit, quòd formæ non imprimuntur in materia ab aliqua substantia separata, sed reducuntur in actum de potentia materiæ per actionem formæ in materia existentibus. Et probat, quia, ut ibi ostendit, id quod fit, propriè est compositum: omne autem agens agit in sibi simile, unde oportet quòd illud, quod facit res naturales existere per generationem, sit compositum, non forma sine materia, uel forma separata. Secundo probatur conclusio, quia si dæmon posset immediatè imprimere aliquam formam naturalem. ergo & omnes, cùm non sit maior ratio de una, quàm de aliis omnibus: consequens autem est falsum, quia tunc tota natura esset ei subiecta, & sic totus orbis. non autem subiicit Deus orbem terræ etiam angelis, Hebr. 2. Et hæc est expressa sententia Augustini 3. de trinit. cap. 6. Nec omnino, inquit, putandum est istis transgressoribus angelis ad nutum seruire hanc uisibilium rerum materiam. Et finaliter hæc est communis sententia doctorum omnium, 2. dist. 7. post Magistrum sent. qui ita determinat. Secunda conclusio, Magi * uirtute dæmonum possunt mirabiliter transmutare materiam, & naturas corporales,

applicando semina rerum, & actiua passiuis. Hæc est determinatio August. 3. de trinit. c. 9. Et probatur manifeste ex superioribus. Nam ipsis obediunt corpora ad nutum quantum ad motum localem: sed ipsi optime nouerunt naturas, & uirtutes & efficacias omnium rerum naturalium, & possunt eas celerius & intimius applicare, quàm homines, unde, ut ait S. Tho. De potentia. q. 63. sicut ars imitatur naturam, & ut ait Philosophus 2. Physic. quędam potest facere ars, quæ non potest natura: ita dæmones multa facere possunt, quæ sunt præter solitum cursum naturæ, & præter omnem artem, & humanum ingenium. Item, quia influentia cælestis multum facit, & operatur ad effectus naturales. Vnde in agricultura, & medicina necessaria est obseruatio, & consideratio motus, & cursus solis, & lunæ. cùm ergo dæmones sint peritissimi astrologi, possunt melius eligere horas ad operandum. Et hęc fortè est una ratio, quare magi in inuocationibus dæmonum situs stellarum obseruant. Et sic est aperta ratio, quomodo, & quare dæmones, aut magi possunt immittere ægritudines, aut sanitates, aut alias transmutationes facere, Confirmatur Iob secundo, Satan percussit Iob ulcere infestissimo. Ad argumenta autem contra primam conclusionem, ad primum respondetur à Sanct. Tho. quòd sine dubio

S. Thom. Arist.

dæmon

dæmon non poteſt immutare, nec immediatè obſtare, quominus agens naturale agat in ſubiectum diſpoſitum, ſed impedire ignem ne comburat, uel imprimendo aliquam qualitatem defenſiuam per modum ſupradictum, uel etiam tenendo flammam ne perueniat ad tale ſubiectum. Ad ſecundum reſpondetur, quòd dæmon non immutat phantaſiam, imprimendo nouas ſpecies, niſi fortè aliquando exterius formato aliquo corpore phantaſtico, quo mouet oculos, ſed mouet interiores ſpiritus, ubi ſunt ſpecies: & taliter offert ſenſui interiori quod uult, ut uideãtur res reuera eſſe præſentes, & geri ad modum ſomniantium, uel phreneticorum, imò perfectius, quanto (ut dictum eſt) poteſt ſubtiliter, & præter omnem artem applicare cauſas ad huiuſmodi operationes, & ſic ita perfectè mouet tales ſpecies, & preſentat ſenſibus interioribus, ut tales, qui hęc patiuntur, firmiſsime credant rem uerè geri Vnde prouenit, quod contingit in illis lamiis, ut cùm uelut exanimes maneant in uno loco, credant ſe tranſlatas per aëra, & uidiſſe, & egiſſe, uel paſſas eſſe quæ nunquam fuerũt in rei ueritate. De quo uide Turre Cremata in d. cap. epiſcopi. Ad alia argumenta in principio queſtionis. Ad primũ iam declaratũ eſt, q̃ non poſſunt immediatè imprimere formas, ſed applicãdo ſemina, & cauſas naturales.

Ad

Ad secundum respondetur, quòd licet dæmones possent immutare corpora, nõ tamen possunt conseruare formas naturales sine dispositionibus naturalibus: & quia organizatio est dispositio requisita ad animam rationalem, non poterit dæmon figuram hominis immutare in figuram brutorum, manente rationali anima. ut S. Tho. dicit, De potentia, q. 16. ergo. Ad tertium, Et si aliquid ueritatis habet illa historia, omnino dicendum est, quòd dæmon occisis sociis Diomedis & Vlysis, bestias pro illis suppossuit, uel fortasse illæ bestiæ etiam erant phantasticæ. Et sicut non potest hominem sub figura bestiæ conseruare, ita nec peculiarem figuram unius leonis tollere, & dare alteri. Vnde fabulosa uidentur in itinerario Clementis, quòd Simon magus Faustiniano propriam figuram & faciem abstulit, & suam dederit illi: quod ego non credo. Ad quartum, Certissime dęmones nisi coërcèrentur à Deo, & à bonis angelis, possent grauissimis calamitatibus mortales afficere, ut patet de aduersitatibus Iob. unde S. Thom. p. 3. q. 29. art. 1. dicit, quòd dęmones non permittunt facere omnia, quę naturaliter possunt, sed clemẽtissimus Domin' permittit eos uti sua potestate, & boni angeli etiam impediunt, & maxime illi, quibus orbis custodia & hominum commissa est. Sed mirum & mysterium est, quòd

S. Thom.

S. Thom.

cum

cùm dæmones per ſe nocere non permittantur, tamen non adeò impediuntur nocere per homines, ſicut per magos, per lamias iſtas, & alias maleficas. Ad quintum dicendum, quòd ſine dubio dęmones poſſent à multis ęgritudinibus curare, à quibus nulli medici poſſunt, tamen non ab omnibus. Nam, ut dictum eſt, nihil poſſunt in hac re, niſi per applicationem cauſarum naturalium, nec ſunt cauſę naturales ac reſtituędum hominem ex quolibet morbo, maxime ex morbo ſenectutis. Sed certe uidetur, quòd ex quolibet morbo uiolento poſſent ſanare, ut à febre, uulneribus, & ſimilibus: poſſent enim ſiſtere ſanguinem, aut detrahere, & ſimiliter quemlibet humorem. Sed uidetur, quòd ſaltem poſſet dæmon protendere uitam uſq; ad milleſimũ annum. Si enim poteſt omnia naturalia, & aliquando uita naturalis fuerit mille annorum, ut patet in Adam & aliquibus aliis, quare non poſſet nunc conſeruare uitam per tot annos, cùm ſint omnia alimenta, & omnia remedia medicinalia, quę tunc erant? Reſpõdetur, Sine dubio dęmones non poſſent particularem uitam protelare per tot annos, ſicut illo tempore. Ratio eſt, quia per intemperantiam & ignorantiam, hominum natura eſt ualde corrupta, & morbida, nec ſufficiunt quęcunque res naturales reſtaurare in antiquam illam integritatem, & ali-

men

menta ipsa ex malo cultu non habent illum uigorem. Et ultimo & fortè principaliter ex influentia cæleſti. Dominus enim prouidentia ſua ita diſpoſuit, ut primis illis temporibus eſſent conſtellationes cæleſtes naturales ſalubriores & efficaciores ad uitam hominum propagandam, & ut alimenta eſſent maioris uigores, & etiam medicinę, & aër, & aqua, & alia quę conſeruant uitam mortalem. Alia erat hic quęſtio, uel dubiũ, quia prę ſupponitur ſemper, q dęmones ſunt incorporei & immateriales, an hoc ſi omnino cerrũ. ſed quia puto me p nunc ſatis dixiſſe de hac materia, hoc ſeruo pro alia eiuſdem materię relectione, quam Domino prę ſtãte promitto uobis daturũ anno ſequenti, & ſi interim uolueritis illud dubium ſcire, uidete S. Tho. prima part. quę. 50. artic. 1.

REV

REVERENDI PATRIS F. FRANCISCI A VICTORIA

Relectio

De eo, ad quod tenetur homo ueniens ad usum rationis.

SVMMA.

1 Ecclesiastici liber an deberet recipi inter Canonicas scripturas, quomodo in ecclesia dubitatum fuerit, & quid tenendum.

2 Homini omni ad usum rationis peruenienti, an pateat aditus ad salutem, & uitam æternam.

3 Rationis usum habere, quid sit.

4 Liberum arbitrium aut usum rationis habere, quòd non sit idem, quod habere actus intellectus, & uoluntatis.

5 Liberum arbitrium habere, aut usum rationis, quòd non uideatur idem, quod posse agere, & non agere positis requisitis ad agendum ad sensum, in quo communiter doctores capiunt.

6 Liberum arbitrium habere, quòd sit idem, quod esse dominum suarum operationum.

7 Liberum arbitrium, quòd duo requirat, & quomodo secundum potest esse sine primo, & posito primo, ponitur secundum.

8 Rationis usum quòd unus homo habeat, & alius non, unde proueniat.

9 Rationis usum, quòd unus homo habeat, & alius non, possit immediatè ex parte intellectus, & uoluntatis

prouen

prouenire.

10 *Rationis usum quòd unus habeat, & alius non, quòd talis differentia nõ proueniat ex aliquo habitu à natura concreato, uel intellectu, uel in uoluntate, qui solum sit in uno, & non in alio, uel in puero, & in adulto.*

11 *Defectus, & imperfectio, uel priuatio usus rationis, unde semper, uel ex maiori parte proueniat.*

12 *Appetitus sensitiuus, quòd possit esse causa priuationis usus rationis.*

13 *Vsum rationis posse tolli per habitus existentes in uoluntate, puta ex odio, uel amore uoluntatis, quòd sit probabile, posita etiam omnimoda rectitudine ex parte sensitiua.*

14 *Dispositio qualitatum naturalium, quòd nulla sine speciebus sensibilibus sit sufficiens ad usum rationis.*

15 *Educatio docta, & instructio, quòd multum faciat, ut aliquis perueniat ad usum rationis.*

16 *Rationis usum an possit aliquis habere circa aliquam materiam, uel obiectum, & non circa aliud, utpote circa materiam iustitiæ, & non circa materiam temperantiæ, ut sit capax rationis ad deliberandum, & iudicandum an sit iurandum, uel nocendum alicui, & non sit capax ad consultandum de fornicatione, sed habeat se ad illam tanquam puerum.*

17 *Rationis usum habere sufficientem circa artes, qui nõ habeat circa materiam moralem, quòd uideatur possibile.*

18 *Rationis usum habere sufficientem circa artes, qui non habeat circa materiam moralem, licet sit possibile, quòd tamen uideatur multum difficile, uel nunquam contingere.*

Ration

19 *Rationis usum habere circa aliquã materiam moralẽ, & non circa omnes, putatur impoßibile ab authore.*

20 *Rationis usus primum instans, quid sit, uel quid uocetur. Et quomodo deliberatio non poßit esse libera, id est, quòd sit in potestate hominis deliberare, & non deliberare.*

21 *Deliberatio prima, quòd sit ex causis non naturalibus uel prorsus extrinsecis, puta uel à Deo, uel ab angelo.*

22 *Deliberans primo, quòd non habeat in sua potestate prius deliberasse.*

23 *Deliberans primò, quòd potuit primò deliberasse.*

24 *Deliberatio, quòd non poßit cadere sub præcepto.*

25 *Deliberans primò, q̃ non tenebatur prius deliberasse.*

26 *Recentiorum dictum, quòd detur tempus inducíarum, in quo aliquis potest deliberare, quòd sit uanum.*

27 *Instans primum, uel tempus usus rationis, in quo quis primo deliberat actu, quòd non sit in quo potest primò deliberare. Et multa de usu rationis.*



Locus relegendus habetur Ecclesiastici 15. Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilii sui. Quia de authore, & authoritate illius libri Ecclesiastici inter multos dubitatum est, nec desunt adhuc qui ambigant, non erit ab re, de hoc ipso pauca præfari, ne tota nostra disputatio lubrico loco innixa, nutare uideatur. Primùm inter libros Canonicos liber Sapientiæ, & Ecclesiasticus ab Hebræis nõ recipiun-

tur. Hoc Hierony. in prologo Galeato, & in prologo ad Heliodorum, & Croniaticum, qui etiam de Eccleſiaſtico dicit, Nuſquam reperi Hebræum, ſed Græcum ſolum. Ideo hac ratione dubitatum * in eccleſia eſt, an deberet recipi inter canonicas Scripturas. Sed tamen omnes authores uetuſtiſsimi uſi ſunt teſtimoniis illorum tanquam propheticorum librorum, Egeſippus, Irenęus, Tertullianus, Euariſtus, Alexander, ſucceſſores Anacleti, Clemęs, Alexandrinus proximus Ioanni Euangeliſtę, Origenes, Cyprianus, Ambroſius, Auguſtinus, Damaſcenus: & Euſebius libro 4. dicit duos ex antiquis patribus illis libris ante uſos tanquam propheticis. & Auguſt. 17. De ciuitate Dei, cap. 20. expreſsè dicit eſſe propheticos. & Damaſcenus libro 4. c. 18. In concilio Carthaginenſi 7. cui interfuit Auguſti. c. 47. dicitur, Placuit ut prętęr Scripturas canonicas nihil in eccleſia legatur ſub nomine diuinarum Scripturarum, ſunt autem canonicę Scripturę Geneſis, & Salomon libri 5. hęc à patribus legenda ſuſcepimus ſub nomine diuinarum Scripturarum. Hæc in concilio. Vnde patet, Sapientiam & Eccleſiaſticum repoſitum inter ſacras Scripturas Salomonis, aliâs non eſſent niſi tres. De authoribus illorum librorum licet nō omnino conſtet inter authores,

ſed

sed hoc est satis rationabile non esse editos à Salomone, continere tamen sententias Salomonis scriptas in diuersis libris Salomonis, sparsimq; multa constat scripsisse, quæ ad nos non peruenerunt, uel in memoria hominum. Egesippus, Irenæus, Tertullia. Cypria. Euseb. citant librum sub nomine Salomonis. De Ecclesiastico satis cõuenit, authorem fuisse Iesum filium Sirach. Sed Iesum filium Sirach ex Hebræo Græcum fuisse, uel potiùs nouum fuisse circa tempora Ptolemæi Euergetis 200. ferè annos ante natiuitatem Domini, sub Simone magno Sacerdote, Onię filio. De Sapientia non ita conuenit, sed tribuitur Philoni Iudæo, non qui claruit sub Nerone, sed alteri antiquiori 160. annos ante Christum, sed uterq; uidetur scripsisse ore prophetico. Augustinus tamen De doctrina Christiana utrunque putat esse Iesu filii Sirach. Quod tamen retractauit 2. lib. retracta. c. 4.

¶ Ex uerbis prępositi loci satis cõstat Scripturã nõ loqui de homine ante usum rationis, uel omnino priusquã possit deliberare, & consiliũ sumere de agendis, atq; adeò nos impręsentiarum nihil loquimur de salute hominis, uel statu in utero matris, uel prorsus antequam peruenerit ad usum rationis, sed solùm constitui in tota hac disputatione hoc argumentum tra-

ctare, & hunc locum uersare, qua ratione, aut qua uia homini possit patere salus postquam est sui iuris, aut (ut Scholastici dicũt) postquã annos discretionis attigerit. Et ideo sit quæ-
2 stio principalis, An * omni homini perueniẽti ad usum rationis pateat aditus ad salutem, & uitam æternã. Pro parte negatiua arguitur, Sine fide impossibile est placere Deo, & accedẽtem ad Deum oportet credere, quia est, & quia
Hebr.11. inquirentibus se remunerator est, ad Hebr.11. Sed multis uenientibus ad usum rationis impossibile est credere, aut habere fidem, ut patet de natis & educatis apud barbaros & ignaros Deitatis, & religionis: ergo talibus non patet aditus ad salutem. Item, Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit: qui uerò non credi-
Marc.16. derit, condemnabitur. Marci 16. & confirma-
Roman.12. tur ex Paulo, Rom.10. Quomodo inuocabunt in quẽ non crediderũt? aut quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audiẽt sine prædicãte? Vbi Paulus apertè uidetur excusare eos, quibus non est prædicata religio, & nomen Dei. In contrarium est illud, Deus
1.Tim.2. uult oẽs homines saluos fieri. 1.ad Timoth.2.
Eccl.15. item Ecclesiasti. 15. Ante hoĩem uita & mors, bonũ & malum, quod placuerit ei, dabitur illi. Ex quo loco uidetur, quòd omni (si per illum non stat) sit data supernaturaliter facultas perueniendi

ueniendi ad uitam æternam. item, In ueritate cognoui, quòd non sit personarum acceptor Deus. Actuum. 10. Ad hanc quęstionem dis- *Act.10.*
soluendam quatuor dubia oportet tractare. Primum, quid sit hominem habere usum rationis, & quid peruenire ad usum rationis, Secundum, quid potest homo, cum primum peruenerit ad usum rationis. Tertium, ad quid tenetur pro eodem tẽpore. Quartum, de principali quæstione: quibus expeditis, relectio erit soluta.

¶ Pro prima ergo quæstione est notandum, quòd licet ratio essentialiter idem sit quod intellectus humanus, tamen uoluntas ponitur à philosophis in ratione, ut uidetur Aristo. sen- *Aristot.*
tire 3. Ethicor. c. 10. Et apertius 3. de anima. c. 6. Imò uocatur uoluntas per essentiam rationalis, ut patet ex S. Tho. in 3. dist. 23. q. 1. artic. 1. *S. Thom.*
quęstiunc. 1. Quare usus rationis non solum dicitur usus, & facultas potentię electiuę, sed etiam usus uoluntatis. Imò & Aristo. 3. Ethico. c. 10. dicit fortitudinem, & temperantiam esse partium rationis expertium, &c. Et tamen appetitus sensitiuus est particeps aliquo modo rationis. ergo aliter uoluntas est rationalis, quàm participans. Similiter etiam quanquam liberum arbitrium sit etiam essentialiter idem quod uoluntas humana, ut disertè tradit Da-

masce. lib.2.tamen quia actus liberi arbitrii est electio, ex Magistro in 2.d.24. & electio adeò exigit consilium,ut Aristo.6.Ethi. in dubium reuocauerit, an sit appetitus sensitiu⁹,uel intellectiuus, ideo etiam liberũ arbitrium non solum ponitur facultas uoluntatis,sed rationis & uoluntatis, ut patet apud Magistrũ in 2. d.24. Hoc breuiter præmisso, ut à notioribus & facilioribus incipiamus,sit prima propositio,

3 ¶ Habere * usum rationis idem est, quod habere liberum arbitrium. Hæc patet ex dictis, nam si habere usum rationis est habere facultatem intellectus & uoluntatis,hoc autem est habere liberũ arbitrium. ergo idem est utrunq;. Et confirmatur, quia in quocunq; est usus rationis, est liberum arbitrium, & econuerso. ergo signũ est quòd sunt idem. Sed hoc ipsum non est satis exploratum quid est habere liberum arbitrium. Quanquam enim, ut idiotę & rustici internoscere possint eum qui habet usum rationis,& liberum arbitrium,ab eo qui non habet: diffinire tamen in quo consistat ratio liberi arbitrii,& quid sit habere hanc facultatem,non est facile.sed utrunque uidebimus. Ad declarationẽ huius sit secunda propositio, Non est idem liberũ arbitrium aut usus rationis quod habere actus intellectus,& uoluntatis.Patet,quia ebrii,& amentes non habent liberum

berum arbitrium,& tamen habent actus intellectus,& uoluntatis:ergo non est idem.Maior est nota, minor probatur, quia habent actus circa res spirituales,quę non cadunt sub sensu, ut desiderium etiam rerum spiritualium, ut experientia patet ex his,quæ tum faciunt,tum dicunt.loquũtur enim de Deo,& angelis,disputant de dialecticis.Et confirmatur de pueris & somniantibus.Somniantes enim postea meminerunt, sic habent actus intellectus & uoluntatis. Item habent aliquos actus uniuersales,quos non uidetur quòd possit habere sensus, qui est solum particularium. S.Tho.prima part.q.84.artic.8.ad 2.loquitur,quo modo sensus & imaginatio plus uel minus ligantur, uel soluuntur in dormientibus, & concludit sic, Ergo per modum quo sensus soluitur & imaginatio, dormiendo ligatur iudicium intellectus,non tamen ex toto.Vnde aliqui dormiendo syllogizant, & cum excitantur, semper recognoscunt se in aliquo errasse. Ex his uerbis S.Thom.patet,quòd dormientes habent actus intellectus, & per consequens possunt habere actus uoluntatis. Idem & clarius ponit in 4. d. 9.q.1.art.4.ad 3.& 4.Et ibidem ad quartum dicit, quòd aliquando in somnio consentit quis turpitudini, unde etiam uidetur quòd habet actum uoluntatis. & 2. 2.quæst.172.articulo 1.

ad ſecundum, idem concedit de dormiente. Et confirmatur etiam ratione, quia omnes amentes, pueri, & ſomniantes habent aliquando actus ſenſuum ſufficientes in uigilantibus & ſanis ad actum intellectus & uoluntatis. ergo poſſunt eſſe in animantibus, quia tota cauſa quare amentes non habent uſum rationis, eſt diſpoſitio ſenſuum. Antecedens autem patet, quia iudicant per ſenſum aliquod eſſe bonum, aut malum: quod iudicium ſufficeret mouere non amentem ad actum intellectus & uoluntatis. Et confirmatur, quia ſenſus in homine ſunt eiuſdem rationis ſicut in brutis, licet ſint aliquo modo perfectiores. ſed amentes habent multos actus, quos bruta habere non poſſunt: ergo illi non proueniunt à ſolo ſenſu, ſed ab intellectu, & uoluntate.

5 ¶ Tertia propoſitio, Non * uidetur idem habere liberum arbitrium, aut uſum rationis, quod poſſe agere & non agere, poſitis requiſitis ad agendum ad ſenſum, in quo communiter doctores capiunt. Iſta propoſitio non eſt ita nota, neque ita certa, ſicut præcedens, & ideo fermè omnes doctores recentiores contrarium tenent, ſcilicet quòd omnis actus, qui non neceſſario producitur, procedit à libero arbitrio. Ego dico, quòd homo producit multos actus, quos poteſt non producere, etiam

non

non habens liberum arbitrium, nec usum rationis. Probatur hoc primo, Pueri, & amentes, & somniantes habent actus uoluntatis (ut probatum est) & non necessario. ergo hoc non sufficit ad liberum arbitrium. Minor patet, quia uoluntas est formaliter ex sua natura libera, quia potentiæ rationales sunt ad opposita (tertio de anima) & nihil est in illis, à quo necessitetur uoluntas: ergo non necessitatur. Probatur minor, quia uel esset notitia intellectiua, uel sensitiua, uel passio appetitus sensitiui, quia nihil aliud potest imaginari unde necessitetur, sed nullum illorum potest necessitare, quia sensus non potest mouere uoluntatem nisi per intellectum (tertio de anima) ergo sola sensatio non potest necessitare uoluntatem, neque passio. Patet, quia aliquando amentes agunt sine passione, uel saltem potest esse tanta passio insano, sicut in amente, & puero, & somniante. Neque ex parte intellectus, quia quæcunque notitia est in amente uel puero, potest esse in adulto, & in sapiente, & in hoc non necessitatur. ergo neque in illis. Maior patet, quia uel est simplex apprehensio, uel iudicium, quodcunque tale potest esse in adulto. Et confirmatur, quia si aliqua notitia necessitaret, uel esset simplex apprehensio, uel iudicium incompletum, uel perfe-

ctum. Non ſimplex ; quia notitia non ſolum non neceſsitat, ſed neque poteſt mouere uoluntatem (tertio de anima) quia intellectus ſpeculatiuus non mouet, ſed ſolum practicus, & amentes aliquando agunt ex iudicio, neque iudicium ſimplex bono uel malo, quia id non neceſsitat adultum. Iudicium autem completum non poteſt eſſe in amente, & dato quòd eſſet, non neceſsitaret. ergo nihil eſt, quod poſsit neceſsitare uoluntatem pueri, aut amentis, aut ſomniantis. Et confirmatur, quia plus mouet iudicium perfectum de bonitate obiecti, quàm iudicium imperfectum, uel ſimplex apprehenſio. ſed illud non neceſsitat, ergo multo minus iudicium incompletum quod eſt in amentibus. & profectò mirum eſt, quòd hoc iudicium, hoc eſt delectabile, uel dulce, quod puer habet, neceſsitet eum: & tamen idem iudicium cum iſtis aliis, hoc eſt bonum, ſtoneſtum & meritorium, præceptum honorificum, quod eſt in adulto, non neceſsitet. Item, quia anima ſeparata ab omni notitia quæ eſt in puero, aut amente, certum eſt, quòd non neceſsitaretur: ergo nec coniuncta. Patet conſequentia, quia profectò intellectus, & tota anima ſeparata eſt etiam in corpore exiſtẽs (tertio de anima) & intellectus nihil recipit à corpore niſi notitiam. Et ideo

non

non est dubium, quin positis æqualibus notitiis intellectualib⁹ in duabus animabus, si una non necessitat, neque alia, quia omnino differentia ex parte corporis nihil facit si non faciat differentiam in notitiis ex parte intellectus. Secundo probatur, Motus subiti, quos Doctores uocant primos, omnino non imputabiles, non sunt necessarii, & tamen pro eo tempore non est liberum arbitrium. ergo hoc non sufficit ad liberum arbitrium. Assumptum probatur, quia omnis notitia, quæ est in primo instanti, non necessitat. ergo nec tunc. ergo neq; ualet dicere, quòd postea non necessitat, quia superuenit nouum iudicium. Nam stat, quòd iudicium superueniens magis moueat, quàm retrahat ab illa. ergo iudicium sequens non facit, quòd si prius necessario moueretur uoluntas, postea non moueatur uoluntas. Et confirmatur totum hoc de maniacis, qui secundum talem passionem habent, quòd circa aliquam materiam particularē non habent usum rationis, cùm habeant circa oēs alias, sicut aliquando etiam phrenetici illi non uidētur necessitari circa materiam illam, sed errare, & tamen nō habent liberum arbitrium circa illam. ergo non est idem habere liberū arbitrium, & nō necessario agere. Et certè uidemus amētes, & pueros multa agere rogatos uel

ad

admonitos ad modum aliorum hominũ, neq; uidentur necessitari in illis. idem uidetur posse probari de omnibus actibus indeliberatis, ut fricare barbam, scalpere caput, de quibus non uidetur dicendum, quòd sint actus necessarii, & tamen non procedunt à libero arbitrio.

¶ Sed contra hanc conclusionem potest argui unico argumento apparenti, Quia si actus uoluntatis ante usum rationis uel in amente, & somniantibus nõ sunt necessarii sed liberi, ergo sunt boni uel mali, & si liberè trãsgrediuntur præcepta, ergo peccant. Respondeo negando consequentiam, quia nõ satis est, quòd sint liberi hoc modo, sed oportet quòd sint deli-
S. Thom. berati, quod non est in eis. S. Tho. 1. p. & 4. ubi suprà excusat somniantes, non quia necessariò agunt, sed quia non habent perfectum usum rationis, uel intellectus, sed est impeditus intellectus: itaque defectus prouenit ex parte intellectus, non ex parte uoluntatis. Et patet, quia circa materiam bonam etiam possunt esse motus etiam primi, qui tamen non reputentur actus boni propter indeliberationem. Et confirmatur solutio data, quia siue ita sit, siue non: tamen dato, quòd ita esset, quòd pueri, & amentes haberent talem libertatem ex parte uoluntatis, si tamen haberent intellectum ità impeditum, sicut nũc habent,

quòd

quòd non possint cognoscere quid expediat, aut quid noceat, omnino non imputaretur eis quicquid agerent, non ampliùs, quàm nunc imputatur. ergo non est opus negare libertatem uoluntatis. Confirmatur ultimò, quia amentia hoc uidetur solùm significare, scilicet priuationem, aut turbationem mentis, sicut intellectus, nec dicit respectum ad uoluntatem, manet. ergo si non certa, certè probabilis propositio, in pueris, & amentibus, & somniantibus, & etiam in motibus subitis non necessitari uoluntatem, sed posse agere, & per consequens hoc non esse satis ad liberum arbitrium. Verum est tamen, quòd hæc non est simpliciter nec propriè libertas, sed imperfecta, & secundum quid, quæ non est capax bonitatis, & malitiæ, neque laudis, &
6 uituperii, ¶ Quarta propositio, Idem est habere liberum arbitrium, quod esse dominum suarum operationum. Ista conclusio est Sanct. S. Tho. Thom. in multis locis, expressè 1.2. quæst. 1. articulo 1. ubi dicit, quòd in hoc differt homo ab aliis animantibus, quòd est dominus suorum actuum. Vnde illæ solùm actiones uocantur humanæ propriè, quarum homo est dominus. Est autem homo dominus suarum actionum per rationem & uoluntatem. Vnde & liberum arbitrium dicitur esse facul-

tas

tas uoluntatis & rationis, & articulo 2. dicit, quòd homo habet dominium suarum actionum per liberum arbitrium. Ad hoc (inquit) quòd dominus suarum actionum sit homo, duo requiruntur. Alterum, ut homo habeat facultatem consultandi, ac deliberandi quid bonum est, & quid malum est, & quid consequendum, quid fugiendum, quid uitandum. Alterum est, ut habeat in sua potestate post deliberationem, eligendi, & relinquendi quod sic deliberatum est, neque enim primum sufficit sine secundo. Neque quis esset dominus suarum actionum, si post deliberationem necessariò aut sequeretur consilium, aut non posset sequi. Ista propositio est clara ex communi significatione, & acceptione uerborum. Nam is uerè dominus dicitur ab omnibus, qui habet facultatem utendi re. Ita enim definiunt, & Iurisconsulti, & theologi. Et ista facultas non potest haberi sine facultate rationis, & uoluntatis, quæ est liberum arbitrium. Vnde idem est liberum arbitrium, quod habere dominium suarum actionum: & sic & dominium, & liberum arbitrium definiuntur per idem, scilicet facultatem. Est enim liberum arbitrium facultas rationis, & uoluntatis. Et dominium actionum humanarum est facultas etiam utendi ratione

tione & uoluntate.

7 ¶ Quinta propositio, Ex * duobus requisitis ad liberum arbitrium secundum potest esse sine primo, & posito primo, ponitur secundum. Hoc est manifestum. Nam ubi est facultas deliberandi, est facultas eligendi, & econuerso, nec unum inuenitur sine alio, ut patet in brutis, pueris, & amentibus, ubi nulla mutatione, aut differentia posita ex parte uoluntatis (ut dictum est) solum quia intellectus impeditur à deliberatione, & consilio, uoluntas etiam non habet in sua potestate eligere & non eligere. Et ideo etiam qui uellet tenere contra tertiam propositionem, & dicere, quòd in habentibus usum rationis, uoluntas necessariò elicit omnes actus, posset respondere ad argumenta facta, & dicere, quòd natura uoluntatis est, quòd si intellectus sit solutus, & capax deliberationis & consilii, uoluntas liberè agit. Si autem non sit capax, uoluntas necessariò agit, & naturaliter. Et ideo cùm quæritur à quo necessitatur uoluntas in amente, dico quòd non à notitia, sed à natura: sicut nec in bruto necessitatur ab obiecto uel notitia, sed à natura, quia libertas uoluntatis dependet ab intellectu. Licet enim libertas formaliter sit in uoluntate tanquam in subiecto, sed est in intellectu, tanquam in causa uel

radice

S. Tho. Aristo. radice, ut ait Sanct. Thom. 1.2. quæst. 6. arti. 2. ad 2. & quæst. 17. artic. 1. ad 2. & de ueritate. quæst. 24. artic. 2. Et Aristot. 8. Ethico. dicit, quòd desiderium, siue electio necessitatur ex consilio. Sequitur corollarium responsiuum ad quæstionem primam principalem, in qua quærebatur, quid est hominem habere usum rationis, uel peruenire ad usum rationis. Dico, quòd est hominem esse in tali statu, ut possit consultare, & deliberare de agendis: quamuis enim usus rationis præter hoc dicat & potestatem eligendi, quod spectat ad uoluntatem: tamen in quocunque est potestas consultandi, est etiam eligendi. Sed quamuis in hac determinatione omnes conueniant, uel omnino debeant consentire, nascuntur dubia ex ea, non quidem adeò grauia, sed prorsus non contemnenda.

¶ Et primum dubium est physicum, unde
8 * scilicet cùm non solum omnes homines sint eiusdem speciei, sed etiam ipsæ humanæ potentiæ & uirtutes, imo, ut in præsentia supponimus, una non est perfectior alia: cùm ista, inquam, sint ita, unde prouenit, ut unus homo habeat usum rationis, & alius non habeat? & item, cur in infantia non sit ut est in adolescentia? Et confirmatur, Idem est omnino intellectus in pueritia & in senectute.

9 te. Vnde sit prima propositio, Ista* differentia non potest prouenire immediatè ex parte intellectus, aut uoluntatis. Ista propositio clara est, quia licet reuocetur in dubium, an intellectus unius sit perfectior intellectu alterius, non potest tamen esse tanta inæqualitas, ut faciat amentiam, aut sanitatem. Et item non daretur causa de infantia, & adolescentia, cùm sint eædem potentiæ. Et secundò probatur, quia si amentia proueniret immediatè ex parte intellectus, aut uoluntatis, tunc inueniretur etiam in animabus separatis, quod nõ so
10 lùm absurdum sed impium esset dicere. Secunda propositio, Talis* differẽtia nõ prouenit ex aliquo habitu concreato à natura, uel intellectu, uel in uoluntate, qui solũ sit in uno, & nõ in alio, uel in puero, & nõ in adulto. Hoc patet, quia anima nostra est tãquã tabula rasa, in qua nihil est depictũ, ut Aristo. disputauit contra Platonem, & si qui sunt, illi solùm sunt primorum principiorum, qui sunt communes omnibus, & neque transiens à uigilia in somnum perdit aliquẽ habitũ, neque à sanitate in demẽtiã, neque ergo acquirit aliquẽ habitum rediens à dementia in sanitatem. Tertia, Defe-
11 ctus,* & imperfectio, uel priuatio usus rationis, uel semper, uel ex multo maiori parte prouenit ex defectu & imperfectione partis sensi-

tiuæ cognoscitiuæ, scilicet à sensibus, & maximè interioribus. Primò pro pueris, cùm potentiæ rationales sint perfectæ (ut dictum est (nihil potest reddi, quod sit in causa huius priuationis, nisi ex parte sensitiua, neque item in dormiente & somniante, eademque ratio sufficit in aliis, quia effectus communis causa est communis. Secundò, quia cùm nihil sit in intellectu quin priùs fuerit in sensu (primò Posterior) & necesse sit intelligentem phãtasmata speculari (tertiò de anima) corruptio & imperfectio in sentiẽdo necesse est ut redũdet in intellectu. ergo. Ista erit sufficiens causa priuationis usus rationis. & confirmatur, quia etiam diuersitas & inæqualitas ingeniorum prouenit etiam ex differentia sensuum, ut Philosophus secundo de anima dicit, Quòd carne molles, siue delicati sunt aptiores mente & ingeniosores: quod ideo est, quia omnis sensus fundatur in sensu tactus (ut ipse illic dicit) qui perfectissimus est in carne perfectiore. Hanc conclusionem probat S. Tho. ex prima parte, q. 84. articu. 8. ubi probat, quòd ligatis sensibus, ligatur intellectus. Et Aristo. reddit rationem libro de somno & uigilia, quare sensus ligantur in dormientibus, quòd scilicet resoluuntur uapores fumosi ad cerebrum & (ut dictum est) quanto sensus soluuntur,

tanto

tanto etiam ratio ligatur. ergo totum prouenit ex parte sensuum. Quid autē sit in causa ut sensitiua pars non sit apta ad officium sentiendi in pueris, an humor immodicus in cerebro, quæ item in phreneticis, & amentibus, non est huius loci quæstio, sed ad medicos, & physicos relinquenda. Modo hoc sciamus, eos, qui æquo modò se habent in sensibus, æqualiter habere usum rationis ut in plurimum. ¶ Quarta propositio, Appetitus* sensitiuus potest esse causa priuationis usus rationis: uolo dicere, quòd dato q̄ quis habeat uires sensitiuas conuenienter dispositas ad officium sensuum, tamen ex uehementi passione potest quis perdere usum rationis. Hoc patet, quia ut Aristote. dicit 6. Ethicor. & 7. Perturbationes, & passiones impediunt iudicium rationis. Ita enim iudicat homo in agendis sicut est affectus. Quare, inquit, qui in perturbationibus sunt constituti, eodem modò sunt constituti sicut dormientes, furiosi, & ebrii: eodem enim modo falluntur. atque ideo impossibile est incontinentes esse sapientes, aut prudentes. Si ergo perturbationes appetitus sensitiui impediunt usum rationis, ergo tantùm possunt crescere, ut omnino tollant. Aristo. 7. Ethico. expressè dicit, quòd ira, &

12

cupiditates uenereę, cæteraque similia, non nullos in furorem & insaniam adigunt. Et cõ munius inueniuntur, qui ex iniuria insanire incipiunt. Sed uerum est, quòd licet fortasse appetitus sensitiuus posset immediatè mouere uoluntatem, & non solùm mediante notitia, tamen ira perturbat iudicium rationis: uidetur quòd non posit nisi turbando sensum. & sic ista causa huius priuationis tandem reducetur ad priuationem, scilicet ad impdimentum partis sensitiuæ cognoscitiuæ: quanquam posset oppositum dici ut statim disputa
13 uimus. ¶ Quinta propositio, Probabile * est quòd omnimoda rectitudine posita ex parte sensitiua, usus rationis posset tolli per habitus existentes in uoluntate, putà ex odio, uel amore etiam uoluntatis. Patet, quia etiam, ut Aristo. 6. Ethico. tradit, & experientia docet, mali habitus perturbant iudicium rationis: ergo taliter possunt crescere, quòd superent uirtutem naturalem intellectus, & omnino tollant potestatem deliberandi: quia si possunt inferre difficultatem, ergo & omnino impedire. Et confirmatur, quia tantum possunt perturbare mali habitus, sicut passiones. ergo si passiones hoc possunt, quare non etiam habitus? Et licet uerum sit, quòd etiam eo casu turbantur etiã sensus, tamen prior uidetur turbatio

rationis,

rationis. Et confirmatur, quia à sensibus intel lectus nõ recipit nisi species, & ad usum rationis requiritur discursus, & ratiocinatio: ergo dato quòd sensus communes administrent species, potest aliunde intellectus impediri ab usu rationis. Quòd si hoc est uerum, posset aliquis furere, non ex imperfectione sensuum. Et dixi hanc propositionem esse probabilem, & non ita certam: quia ex hoc uidetur sequi, quòd qui ita insaniret in corpore, quòd etiã extra corpus, & perseueraret insania, quia habitus mali perseuerant in animabus damnatorum, & sic essent aliquæ animæ in inferno non habentes usum rationis. Sed qui uellet negare illam propositionem, oporteret respõdere, quare si habitus mali possunt aliquomodo turbare iudicium rationis, non possunt tantum crescere, & tantum impedire, ut iam non sufficiant ad usum rationis? Et ad hoc incõueniẽs de anima separata, quod inferebatur, possemus dicere, quòd habitus quidẽ nõ possunt esse circa omnes materias, imò habitus ita magni nõ possent esse nisi circa raras materias: & sic remaneret intellectus liber circa materias alias: nec esset incõueniens, quòd anima separata insaniret circa aliquam materiã, sicut maniaci faciunt. Non est ita de passionibus, nam ex passionibus commouetur corpus, & ipsum

instrumentum, uel organum uirium sensitiua rum, quo corrupto, iam non est idoneum ad quancunque materiam, etiam si causa fuerit etiam circa unum solúm. ¶ Sexta propositio, Nulla* dispositio qualitatum naturalium sine
14 speciebus sensibilibus est sufficiens ad usum ra tionis, uolo dicere, quantumcũque organum esset optimè dispositum per qualitates natura les, & ad recipiendum species, non autem dice retur quis habere usum ratiõis. Hęc patet manifestè. Nã ad iudicandũ & cõsultãdũ quid uitandũ est, & quid prosequẽdũ, requiritur mul titudo specierum. Nam ad certè cõsultandũ in agendis, oportet habere memoriã præteritorũ, ut dicit Cicero 2. Rheto. & Arist 02. Ethic. q uirtutes intellectuales indigent experimento, & tẽpore, nec potest homo iudicare de con tingẽtibus, nisi ex his, quę cõmuniter accidũt, quę sine memoria cognosci nõ possunt. Vnde si quis amitteret omnes species, quãtũcunque organa manerẽt bene dispositа ad recipiẽdum nouas species, cõstat, q ille non haberet usum
15 rationis. ¶ Septima propositio, Ad* hoc, q aliquis perueniat ad usum rationis, multũ facit docta educatio, & instructio. Volo dicere, quòd priùs quis, cæteris paribus, perueniet ad usum rationis si bene instruatur, & inter ciuiles homines, quàm apud rusticos. Patet hoc, quia

quia ad usum rationis requiritur non solùm acquisitio specierũ, sed etiã ordinatio, ad hoc autẽ plurimùm iuuat institutio. ergo. Ex quo sequitur, quòd etiã ęquales in naturalibus, nõ in æquali tempore perueniunt ad usum rationis. Ex omnibus dictis patet, quòd habere aliquem usum rationis, uel peruenisse ad illum, nihil aliud est, quàm esse in tali statu, ꝙ præsentato aliquo obiecto, circa quod contingit operari, potest potẽtia propinqua sufficienter deliberare, & cõsultare quid agendũ, aut uitandũ, mediatè uel immediatè. Quod addo, quia nõ oportet ut quicũque habet usum rationis, possit per seipsum dignoscere, & iudicare ꝙd agẽdũ: sed satis est ut hoc possit per se, uel per instructionem aliorũ, & ipse sit capax cõcilii, iuxta illud Hesiodi qd Aristo. adducit 1. Ethi. c. 4. Optimus quidẽ ille est qui potest ex se sequi omnia. is rursus bonus, paret qui recta monentibus, &c. Quanquam reuera fateor, quòd fortasse neque ex omnibus quę disseruimus satis habetur quid sit habere usum rationis, neq; in quo consistit. Lõge enim facilius est intelligere & cogitare ꝙs habet usum ratiõis, aut nõ habet, q̃ experiri ꝙd hoc sit. Illud enim idiotæ quãuis ineruditi, cognoscũt, & discernũt amẽtes ab integris, hoc uerò neq; philosophis facile est explicare. Nã et hoc ipsum, ꝙd cõstare

uidetur,& definitum est,non caret calumnia. Nam ignari,& aliâs errantes in moribus,ut sunt hæretici,non sunt sufficientes consultare,& iudicare quid agendum,aut euitandum: aliâs non ita aberrarent,& tamen non negamus eis usum rationis.ergo hoc non requiritur.Potest quidē responderi ad hoc, negando assumptum,sed omnes illi sunt sufficiētes, sed errant ex negligentia sua,uel corruptis affectibus.Sed hęc quidem sunt philosophica,in quibus theologum nō oportet adeò solicitū esse: & ego intelligo me etiam cum non satisfecerim, imminutū fuisse. ergo siue habere usum rationis sit id,quod constituimus, siue quid aliud nos supponamus,aliquem habere iam usum rationis, & de illo disputemus. ¶ Sed tamen hoc dubium, quod ex præcedentibus
16 oritur,non licet prætermittere: An * aliquis possit habere usum rationis circa aliquam materiā,uel obiectum,& nō circa aliud, utpote circa materiā iustitię,& non circa materiam tēperantiæ,ut sit capax rationis ad deliberandum, & iudicandum an sit iurandum uel nocendum alicui, & non sit capax ad consultandum de fornicatione, sed habeat se ad illam tanquam puer. & uidetur quòd non possit contingere.Quia aliâs daremus hominem capacē meriti,& demeriti circa aliquā materiā,

& non

& non circa alias materias morales, quod nun quam aliquis concesit. In contrarium uidetur, quòd aliquæ materię sunt multo notiores aliis. Vt, quòd non est occidendū, quàm quòd non est fornicandum, & species non simul acquiruntur circa omnia. Item (ut dictum est) Maniaci uidentur carere usu rationis circa aliquam particularem materiā, sicut amantes circa omnes. Profectò res est dubia, & ideo re-
17 spondeo. Prima propositio, Videtur * q̄ quis possit habere usum rationis sufficientem circa artes, qui non habeat circa materiam moralē. Probatur, quia uidemus aliquos, qui incidunt in amentiam, non amittere artem, si quam antea didicerāt, sed sciunt scribere, legere, pingere, imò syllogismos facere, & similia, ut cātare. Maior confirmatur, quia pueri instituūtur in aliqua arte, etiam ante usum rationis. Item (ut dictu est) institutio multum facit ad usum rationis: sed potest quis instituī circa aliquā artē priusquā circa moralia. ergo. Secunda propositio, Hoc* quod dicimus esse possibile, uidetur
18 multùm difficile, uel nunquā contingere, quia principia saltem moralia multo notiora sunt, quàm artificialia. ergo omnino uidetur impossibile, ut quis possit sufficiēter iudicare de artificialibus, & omnino sit expers rationis in agi
19 bilibus. Tertia propositio, Omnino* puto im

posſibile, ut quis habeat uſum rationis circa aliquam materiam moralem, & non circa omnes. Probatur primò, quia principia moralia ſunt eadem circa omnes materias. ergo ſi habet iudicium ad principia unius materię, iam aliquo modo habet circa omnes. Vt qui iudicat q̃ non eſt nocendũ proximo, iã habet principium, ita quòd non eſt ſurandum, & quòd non eſt occidendũ: ſicut qui ſcit, quòd in Barbara eſt bona conſequentia, ſcit hoc tenere in omni materia: & qui cognoſcit, quòd eſt aliqua lex diuina, quam tenemur ſeruare, habet principium tam ad materiã iuſtitię, quàm temperantiæ. ergo impoſsibile eſt, ut quis habeat uſum rationis ad conſultandum in materia iuſtitię, & non temperantię. Antecedens declaratur, exempli gratia, In materia iuſtitię deliberatio incipit ab hoc principio, quòd oportet ſeruare præcepta Dei, & ex hoc quòd præcepta Dei continentur in ſcriptura ſacra, uel in doctrina eccleſię, & quòd uerum eſt non furari: eadem omnino uia, uel ſimili procedẽdum eſt in quacunque materia morali. Alius deliberat hoc modo, quòd in agendis oportet conſulere peritiores, & eſt idem principium deliberandi in omni materia. Tertiò probatur, quia quicunque habet uſum rationis, habet hoc principiũ, quòd in actionibus ſuis po

teſt

test bene & malè agere: sed quicunque habet hoc principiū, potest deliberare de omni agendo. ergo. Maior est nota, & minor probatur: quia omnis talis potest deliberare & quærere quid agendum sit, siue erret, siue non. Et ad argumentum factum in contrarium, quia aliquæ materię sunt notiores, respōdetur, Verum est, sed ex hoc non sequitur, quin ille qui potest deliberare circa magis nota, possit circa minùs nota, quia satis est, quòd potest dubitare, & per consequēs potest consulere. Ad aliud de maniacis respōdetur, quòd maniaci fortasse circa omnem materiā habēt usum rationis, sed differunt maniaci, quia circa aliquam materiam errāt uehemēter, nec possunt reuocari ab illa opinione, sed error est quodāmodo naturalis & inuincibilis. Sed certum est, quòd maniaci deliberant an bene uel malè agant, & circa illam materiam, circa quam laborāt morbo, sed errant post deliberationē quasi naturaliter. Vel fortè potest dici, quòd mania tollit usum circa id speculatiuum, ut quòd quis putat se ægrotare, & ualeat, uel aliquid simile. Et similiter uidetur dicendū de phreneticis, qui uidētur insanire in aliquib⁹, sapere in aliis. Oppositū huius propositionis posset poni & defendi: sed hoc uidet probabili⁹. Vtcūq; tamē sit, nō dicitur aliqs habere usūrationis simpliciter, uel per

ueniſſe

ueniſſe ad illum, quouſque poſſet ſufficienter deliberare in materia morali. Hoc patet, quia ſolùm de tali loquuntur philoſophi & theologi: neque dicitur quis ſapere in agendis, quantumcunque aliquis (ſi fieri poſſet) omnium artium eſſet peritus. ¶ Sed priuſquã ad ſecundã quæſtionem ueniamus, adhuc reſtat inquiren
20 dum, quid * ſit, uel quid uocetur primum inſtans, uel primum tempus (nihil enim intereſt) uſus rationis, ut primũ inſtans, in quo peruenit quis ad uſum rationis, uel liberi arbitrii. Et ſit prima propoſitio, Deliberatio nõ poteſt eſſe propriè libera, id eſt, q; ſit in poteſtate hominis deliberare, & nõ deliberare. Probatur, quia liberum propriè eſt ex electione, uel actus qui ſequitur deliberationem, ut ſuprà diximus, nõ eſt actus humanus, niſi ſit deliberatus, ſed deliberatio non poteſt ſequi deliberationem, quia nõ eſt proceſſus in infinitũ, ergo non eſt propriè libera. undę ſequitur, quòd prima deliberatio non poteſt eſſe bona uel mala, meritoria uel demeritoria. Secunda propoſitio, Prima
21 * deliberatio eſt ex cauſis nõ naturalib. uel prorſus extrinſecis, putà uel à Deo, uel ab angelo. Probatur, quia non poteſt eſſe ex electione uoluntatis, quia (ut dictum eſt) non eſt libera, neque poteſt imperari ex electione, quia illa electio iam præſupponeret aliam deliberationem

tionem. ergo oportet, omnino ut sit uel ex motu phantasmatum facto ab obiecto, uel ex aliqua causa extrinseca. Vnde Aristoteles octauo Ethic. dicit, quòd principium consultandi est aliquod intellectiuum principiũ altius intellectu eo, quod est Deus, & per hunc modum ostendit quòd non est processus in infinitum, Omnis actus uoluntatis præsupponit actum intellectus & econtrario. Sed primum consilium non est à uoluntate. & idem S. Tho. prima parte quæst. 82. artic. 4. ad tertium. quod non uidetur sic intelligendũ, quòd Deus concurrat semper tanquam causa partialis ad primum consilium, sed dicitur principium esse Deum, quia primus talis motus intellectus est naturalis, & naturalia attribuuntur Deo, qui hanc uirtutem dedit intellectui: licet non sit negandum, quin nonnunquam Deus, uel per se, uel per angelos particulariter sit causa talis deliberationis, quam inspirationem uocamus. De quo uide Caietanum prima parte, quęstione octuagesimasec. Hęc autẽ adeò uera sunt, ut nõ tantùm cùm quis primò deliberat, prima deliberatio non sit in nostra potestate, sed etiam postquam aliquis omnino cessauit à motu intellectiuo, non sit in potestate eius prima deliberatio, ut est in dormiente, qui à somno excitatur propter eandem rationem.

Aristoteles.

S. Thom.

Caietanus.

Tertia

22 Tertia propositio, * Cùm quis primò delibe-
rat, nõ habuit in sua potestate priùs deliberas-
se. Patet ex dictis, quia si ista non fuisset prima
deliberatio, etiam alia fuisset naturalis, ut pa-
tet. ergo non potuit esse alia libera ante hanc.
23 Quarta propositio, Cùm* quis primò delibe-
rat, potuit primò deliberasse, quia prima deli-
beratio est à causis merè naturalibus, ut dictũ
est, & illę potuerũt priùs concurrere. ergo po-
tuit prius deliberasse. sed etiã illa fuisset natura
24 lis. Quinta propositio, Deliberatio* non potest
cadere sub præcepto, non enim dantur præce-
pta, nisi de actibus, qui sunt in nostra potesta-
te. Et confirmatur, quia posset scire tale præce
ptum, quia iam hoc ipsum esset deliberatio: iã
enim habet usum rationis qui cognoscit se te-
neri præcepto. ergo impossibile est, quòd quis
habeat præceptum primò deliberandi, nec o-
missio, nec impletio esset libera. Sexta propos
25 tio, Quicunque* primò deliberat, non teneba
tur priùs deliberasse. Patet ex prædictis, quia
non erat in sua libertate. ergo nõ poterat ei es-
se præceptum. unde sequitur corollarium, Va-
26 num* est quod dicũt recentiores, quòd datur
tempus induciarum, in quo aliquis potest deli
berare, & si non deliberet, non imputatur ei,
quo transacto si non deliberet, iam imputabi-
tur. Hoc inquã patet ex dictis esse falsum, quia

si non

si non deliberat, nec est in libertate ipsius deliberare, imò si fieri posset, ut quis per centum annos bene dispositus nunquã deliberaret, nõ potest ei imputari. Secundum corollariũ, Primum* instãs uel tempus usus rationis, in quo quis primò deliberat actu, non est in quo potest primò deliberare. Probatur, quia primum instãs rationis uocat̃, in quo quis potest uti libero arbitrio primò, & in quo primò est capax præcepti, aut boni & mali, sed hoc nullo modo potest antequã primo actu deliberet. ergo id est primũ instãs usus rationis. Tertiũ, Cùm doctores quærunt, an homo obligetur ad aliquid in primo instãti usus rationis, & ad quid teneatur, intelligendũ est necessariò de primo instãti usus rationis, & ad qd teneat̃, intelligẽdũ est necessariò de primo ĩstãti, uel tp̃e ĩ quo deliberat. Pat. qa primò nõ est imaginabilis obligatio, sicut nec libertas. ergo. Et cõfirmat̃, qa omnino est impossibile, ut qs cognoscat quomodo primò potuit deliberare, si hoc fuit anteq̃ actu deliberaret. Patet, quo enim signo uel argumẽto hoc posset cognoscere? ergo si aliud tẽpus designarem' usus rationis anteq̃ homo deliberaret, & ĩ quo homo obligaret̃, null' posset scire, nec p cõiecturas pĩgues & crassas, an impleuit nẽcne illud preceptũ. Et ĩ summa, est absurdiss. hoc ponere, sicut si qs dormiat, impossib

27

sibile est dicere, quòd habet aliquod nouum preceptum ut expergiscatur, quod quidē priùs non haberet antequam dormiret. Dico ergo, quòd ad quamcūque dispositionem quis perueniat, antequam actu deliberet, nōdum peruenit au usum rationis, nec est tempus usus rationis, nec obligatur ad aliquid, nec de illo est dicendum apud theologum aut philosophum aliud, quàm de puero. Sed quando quærimus, ad quid homo teneatur in primo instanti usus rationis, intelligendum est, id est in quo primo actu deliberat, unde si quis excedat è uita, antequā actu deliberet, impossibile est ut peccauerit. Hæc de prima quæstione.

SECVNDA PARS RELECTIONIS.

SVMMA.

1 *Homo in Barbaria educatus, sine instructione, & mentione deitatis, & religionis, an cum primum peruenit ad usum rationis, possit Deum cognoscere.*

2 *Homo ad cognoscendum quòd Deus est, saltem sine doctore extrinseco, quòd indigeat non paruo tempore etiam post capacitatem ad percipiendum disciplinas.*

3 *Doctorē non habens extrinsecum, quomodo uideatur pro tempore posse habere de Deo ignorantiam inuincibilem.*

4 *Ratio quòd nusquam sit nec unquam fuerit, nec erit, ubi non sit notitia de Deo probabilis, & cui omnes teneantur rationabiliter credere.*

5 Rat

5 *Rationis ad usum quòd quis possit uenire, & pro aliquo tempore non habere notitiam Dei.*

6 *Rationis ad usum ueniens, etiam si Deum non cognoscat, an talis possit bene moraliter agere.*

7 *Homo cum omnis primum ad usum rationis peruenerit, etiam si Deum neque cognoscat, neque possit cognoscere, quòd potest bene moraliter agere.*

8 *Rationis ad usum perueniens, qui nec Deum cognoscit, nec potest cognoscere, an talis possit peccare.*

9 *Deum antequam cognoscat quis, aut possit cognoscere, quòd potest peccare.*

10 *Legis diuinæ duplex consideratio.*

11 *Rationis usum an possit habere quis ad peccandum uenialiter priùs, quàm ad peccandum mortaliter.*

12 *Rationis ad usum quilibet perueniens, quòd non teneatur se conuertere in Deum explicitè, distinctè, & formaliter.*

13 *Rationis ad usum quilibet perueniens, quòd ad actum al quem teneatur statim.*

14 *Rationis ad usum quilibet perueniens, quòd teneatur se conuertere in bonum eo modo, quo tũc potest, id est conformiter ad cognitionem, quam habet.*

ERAT quæstio, Quid homo possit cum primum peruenit ad usum rationis: circa quam maximè occurrunt quatuor dubia. Primum, An* homo cumprimum peruenerit ad usum rationis, possit Deum cognoscere. Et ut omissis certis & facilioribus, ueniamus ad no dum difficultatis, loquamur de homine educato

cato in Barbaria, sine instructione, & mentione Deitatis, & religionis, An talis possit cognoscere Deum cum primum peruenerit ad usum rationis. & uidetur quòd sic. Primò illud est per se notum, saltem apud S. Tho. 1. p. q. 2. arti. 1. ergo non indiget tempore ad cognoscendum. Secundò quòd regula theologorum est, quòd facienti quod in se est, Deus non deficiet in necessariis ad salutē: sed credere quòd
Hebræ. 11. Deus est, est necessarium ad salutem. ad Hebr. 11. Accedētem ad Deum oportet credere, quia est, & quia inquirētibus se remunerator est: ergo si facit quod in se est, nō ignorabit. Et con
1. Iohan. 2. firmatur ex illo 1. Iohan. 2. Vnctio eius docet uos de omnibus. In contrarium est, quia cognoscere quòd Deus est sine doctore extrinseco, est ualde difficile, habitat enim lucem inaccessibilem, & cognosci non potest, nisi per ea, quæ facta sunt: & oculus noster se habet ad manifestissima naturæ, sicut oculus noctuæ ad lumen solis, & ita uidetur de Deo. Et item Apo-
Rom. 10. stolus Roma. 10. Quomodo credent ei, quem non audierunt? & ponamus quòd nihil audiuit: ergo nihil potest talis cognoscere, Ad hoc respōdeo per propositiones. Prima est, Ad* cognoscendum quòd Deus est, saltem sine doctore extrinseco, homo indiget nō paruo tempore, etiā post capacitatem ad percipiendū disciplinas.

sciplinas. Quæ propositio primò probatur sufficienter argumentis factis. Item, quia si potest cognosci, hoc maximè est argumentis, & rationibus procedentibus ex solo lumine naturali, & experientia rerum, & cognitione creaturarum, sicut uidetur dici ad Rom. primo. sed hoc est ualde difficile, ut patet ex rationibus factis, tum ab Aristo. tum aliis philosophis, & doctoribus, quæ sunt difficiles, & procedunt ex principiis, quæ indigent magno ingenio, & doctrina, & hæc accepta à maioribus opinione, & commota iam disputatione de Deo quanto difficilius inuenta & cognita, etiam apud eum, cuius auribus nihil unquam de Deo insonuit. Neque dubitandum mihi uidetur de hac propositione. De qua difficultate egregiè Cicero, in libro de natura Deorum sub persona Cottæ contra Balbum & Velleium, quãquam Velleius hanc dicebat esse præ notionem & prolepsym insitam animis hominum Deos esse. Secunda propositio, * Si quis non habet doctorem extrinsecum, uidetur q̃ pro tẽpore possit habere ignorantiã inuincibilẽ de Deo. probatur ex prima, & probationibus eius. & cõfirmatur, quia S. Tho. q. 10. 2. 2. artic. 1. dicit, Quòd apud eos, qui nihil audierunt de fide, infidelitas siue ignorãtia fidei non est peccatũ, sed profectò omnino uidetur

eadē ratio de illa, Deus est, apud omnes qui nihil audierūt de deo, sicut de aliis propositionibus fidei: & eadē uidetur intētio Augu. lib. 83. q. & per hoc facilè posset respōderi ad dubiū negatiuè, scilicet quòd uidetur dicēdū, q̄ non omnis talis potest cognoscere Deū, cūprimū peruenit ad usum rationis. Et ad argumēta essēt facilè respōdere. Nā ad primū dicitur ex illo Aristo. Oculus noctuę, &c. & 1. Phy. Nō eadē sunt nobis nota & naturę. Ad secundū dicitur, q̄ saltē priùs esset q̄ iste quæreret, & laboraret ad inueniēdū, & tūc Deus prouideret, & iam saltē pro aliquo tēpore ignoraret. Et itē Deus non semper prouideret docēdo: quia clarum est, quòd aliquis etiam faciens quod in se est, potest habere ignorātiam de necessariis, ad salutem, putà de Christo, & de præceptis, saltem pro tempore: sed Deus prouideret, uel uel illuminando, uel non imputando ignorantiam. sed de hoc latiùs in 3. & 4. q. Sed his non obstantibus sit tertia propositio probabilis,

4 Nusquā* est, nec unquam fuit natio, nec erit, ubi non sit notitia de Deo probabilis, & cui omnes rationabiliter teneant credere. Ista propositio, fortasse non poterit ita manifestè probari, sed certè apparēter. Primū in historia nūquā legimus tam barbarā, & efferā nationem, quę nō habeat aliquem religionis ritū, & puta

ret

ret deum esse. ut Balbus, & Velleius eloquenter apud Ciceronem disputant. Et patet ex omni historia tam sacra quàm profana: & si qua fuit natio, facilè potuerunt scire ex aliis nationibus, apud quas seruata fuit opinio de Deo. Ita hoc fuit multo tempore notum, & receptũ in toto orbe etiã post diluuium. ergo nunquam traditum est obliuioni, quin perseueraret in memoria hominum. Item Deus est administrator & gubernator orbis, ut ex fide notum est: sed in administratione hominum maxima pars est religio, religio autem nulla esse potest sine cognitione Dei. ergo adhuc ostensum est homines per seipsos cognoscere. Probatur, Quia pater meus usque modo operatur. Et Sapientiæ 14. Tu pater gubernas omnia. Item Sapientiæ 8. Sapientia attingit à fine usque ad finem, &c. Item Deus uult omnes homines saluos fieri, qui nõ possunt esse salui nisi per cognitionem Dei: non possunt nisi cum magna difficultate, & multo tẽpore cognoscere Deum, si Deus permittet tolli memoriã & cognitionem sui ab hominibus, nulla poset esse religio, quod non esset congruum Prouidentiæ diuinæ, & sapiẽtiæ ipsius, qui disponit omnia suauiter, & attingit, &c. quod nullus sapiens homo permitteret, si posset impedire. Et cõfirmatur, quia etiã præcepta iuris naturalis,

& decalogi non sunt per se nota, & tamen ex prouidentia Dei doctores concedunt, quòd non stat ignorari, saltem nisi ex malitia, in quacûque prouincia, & natione. ergo cũ multo magis ad uitam humanã exigatur cognitio Dei, quàm præceptorũ, nullo modo est dicendum, q̃ Deus permittat aboleri memoriã deitatis. Itaq; semper homo si uellet adhibere diligẽtiã, posset cognoscere Deũ esse. Et si cõtra hoc quis arguat, q̃ per millia annorum maior pars hominum falsos Deos coluit, & nullã habuit notitiã ueri Dei, dico q̃ nunquã uidẽtur defuisse philosophi, & ueri sapiẽtes, qui unita tẽ ueri dei affirmarẽt, ut patet ex Apostolo ad Ro. 1. & ex historia. Et si hoc uerũ erat circa tẽpora Apostoli, multo magis uidetur uerisimile superioribus tẽporibus, quãdo minus distabãt à lege naturæ & memoria Patrũ: & alii tenebãtur rationabiliter illis credere. & sic Deus semper sufficiẽter cõsuluit, & puidit. Secũdò, possemus dicere etiã si gẽtiles habeãt falsas sectas de deo, tamẽ semper hoc erat omnibus cõmune, q̃ erat aliquis Deus, siue unus, siue plures, cui debebãt cultũ, et religionẽ: et sic siquis uel ignorabat, uel negabat, uel dubitabat, aut ex culpa sua, ut Diagoras, q̃ atheos dictus est, & Theodotus, qui deorũ naturã apertè substulerũt, & Protagoras sophista, qui in dubiũ

reuoca

reuocauit, quo nomine Atheniēsium iussu urbe & agro est exterminatus, libriq́ eius in cōcione cōbusti. Et ex hoc respōdetur affirmatiuè ad quęstionē, scilicet q̄ quilibet cum primū peruenit ad usum rationis, potest habere notitiā Dei. Sed quia etiā si ista uera sint (ut certè sunt) tamen non probantur, quia saltem breui tempore posset aliquis esse sine notitia Dei.

5 Ideo potest poni quarta propositio, q̄ *potest quis peruenire ad usum rationis, & pro aliquo tēpore nō habebit notitiā Dei, quia argumenta hoc uidentur probare. Et ita tenet Caiet. q. 10. ar. 4. 1. 2. expressè. Et quanquam ita sit, ut dictum est, q̄ Deus gerit prouidētiā manifestandi nomē suum, non respondet ad casum de eo, qui nutritur in sylua sine mētione religionis: nam Deus ordinaria uia nō prouidet, nisi per causas secūdas, & de doctrina per prędicatores

6 ad Ro. 10. Secundū dubiū est, An *quilibet talis possit bene moraliter agere. Et quia de alio nō est difficultas, perseuerat dubiū de illo, qui ita educatus extra religionē, & sine doctrina, & mētione Dei. De hoc dubio Grego. 2. d. 38. & priùs dist. 26. contendit, q̄ ad actū moraliter bonum requiritur circunstantia ultimi finis, qui est Deus. Itaque nisi actu, uel habitu actus referatur in Deum, actus nō solùm non est bonus, sed est malus, & peccatum. Idem

Rom. 10.

uidetur tenere Ochã in 1.d.1.q.1.quẽ ſequitur Almain in Mora.c.14.quantũ ad hoc q̃ ad bonitatẽ moralẽ requiritur circũſtantia ultimi finis.ſed uidẽtur æquiuocare de actu moraliter bono.unde Ochã apud Gab.2.diſ.28.tenet, q̃ ad actũ moraliter bonũ nõ requiritur q̃ referatur in Deũ.Et ita tenet Gabriel illic,& eſt cõmunior opinio,de qua nos etiã latè in lectionibus ordinariis diximus.Et ideo quantũ ſpectat ſolũ ad hoc dubiũ,patet, q̃ ſecundũ Grego.dicendum ſit, q̃ ſi quis non cogitat Deum pro illo tẽpore,non poteſt bene moraliter agere.Contra quam opinionem argumentor ſic, Quia ſequitur,quòd nulla uia poſſet ille, qui aliquãdo ignoraret Deũ,peruenire ad cognitionem eius,ſaltẽ niſi caſu haberet exteriorem doctrinã.Probatur & maximè ſecũdũ ſenſum eius,loco citato,quia non poteſt peruenire ad talẽ cognitionem ſine ſpeciali auxilio Dei,ſed iſte nullo modo poteſt ſe diſponere ad tale auxiliũ,quia per omnes actus ſuos nõ poteſt.Secũdò ſequitur, q̃ talis eſſet perplexus,quia nõ poteſt ſaltẽ ſtatim cognoſcere Deũ,& tamẽ tenetur ſeruare prẽceptaſecũdũ eundẽ,2.d.34.& nõ poteſt ſeruare niſi p actũ malũ,ergo eſt perplexus,quia ipſe nõ ponit actus indifferẽtes inter bonũ & malũ,imò uidetur q̃ talis actus ſit mortalis qa eſt fruitio creaturæ.hoc argumẽtũ

aliter

aliter solui nō potest, nisi dicendo, quòd talis potest cognoscere Deum cum speciali auxilio Dei, & sic iam non est perplexus, quia potest uitare illud peccatum, saltem cum speciali auxilio, sicut ipse sibi respondet in illa d.26. Sed hoc impugnatur uehementer, quia stat, quòd non detur tale auxiliū, & hoc sine culpa illius. ergo iam nō poterit uitare peccatū. Assumptū patet, quia non omnibus datur illud speciale auxiliū ad cognoscendum Deū (ut etiam ipse habet fateri) multi enim perseuerāt in tali ignorantia, & hoc non est propter culpam actoris, quia non potest illud uitare antequā illumine tur secundū ipsum. ergo adhuc manet perplexus. Item, uel ad hoc quòd illuminetur, requiritur, q̄ iste aliquid faciat uel non: si non, ergo non est in potestate ipsius quòd illuminetur, & sic erit perplexus sine culpa sua. Si oportet eum aliquid facere antequam illuminetur, cōtrà, Illud non potest esse nisi peccatum: peccatum autē non requiritur ad illuminationē. ergo. Item ipse in eadem d. dicit, quòd nullū potest esse meritum etiam de congruo ad primā gratiā, uel ad auxiliū speciale. ergo non requiri tur dispositio, quia illa uideretur meritū de cō gruo. Itē, dato q̄ ex culpa sua talis nō illumina retur, adhuc esset inconueniens, quia ex culpa præcedēti necessariò incideret in nouū pecca-

tum. Ad hoc argumentū respondet necessariò Greg. q̄ non obstante, q̄ Deus negaret alicui speciale auxiliū ad uitādum peccatū, nihilomi nus imputaret ei, quia ista priuatio uel ignorā tia est ex peccato originali. Et ita respōdet expresse in illa di. 26. q. 1. in fi. sicut si quis ex igno rātia, quā incurrit, uel ex originali peccato age ret quod nō debet. Sed hoc profectò nō uidetur catholicè dictū. Itē, quòd iste, qui nūquam aliquid audiuit de Deo, cognoscat Deū esse, & uult finē & omnia referēda in ipsum, nō solùm est speciale auxiliū, sed etiam spiritus prophetiæ. ergo si quis ita natus & educatus esset sine religione & doctore, nullo pacto posset uitare peccatū, nisi in ipso primo instāti usus rationis, antequā quicquā boni aut mali egisset, reciperet spiritū prophetiæ: quia quicquid priùs faciat, neq; erit peccatū, etiā si Deus post duos dies mittat angelū aut prædicatorē. Imò dato q̄ statim mittat prædicatorē, impossibile est uitare peccatū, q̄a ipsum audire prædicatorē erit peccatū, cū potest credere priùs quàm audiat. Hæc sunt absurdissima: & ideo si quis uellet omnino defendere, q̄ ad actū moraliter bonū requiritur circūstantia ultimi finis, oporteret ut teneret simul, q̄ actus carēs illa circunstantia esset indifferēs, neq; tamē hoc satisfaceret, quia magnū incōueniens uidetur, q̄ actus

indifferens

indifferens requritur ut illuminetur à Deo. Sed quia in moralibus nõ oportet solicitũ esse, an possit aliqua sententia & opinio defendi, aut quomodo respõderi possit argumẽtis, sed considerare potiùs, qd ueri similius sit. ideo sit ad dubium propositio. Prima propositio, Omnis
7 * homo cumprimum ad usum rationis peruenerit, etiam si Deũ neq; cognoscat, neq; possit cognoscere, potest bene moraliter agere. Hæc probatur propositio, quia (ut dictũ est) liberum arbitriũ est facultas rationis & uolũtatis: ergo quicũq; habet liberum arbitriũ, potest nõ solùm cognoscere bonum & malũ, sed etiã facere & uelle, ut suprà dictũ est. nõ loquũtur theologi aut philosophi de usu rationis aut liberi arbitrii, nisi in ordine ad bonũ & malũ, & ideo uocantur amẽtes & insani: q; si ad actũ bonũ requiritur relatio in Deũ, talis qui non cognosceret Deũ, nõ solùm nõ posset bene agere, sed neq; cognoscere quid bonũ esset. Itẽ, si ad bene agẽdũ requiritur relatio in Deũ, uel hoc est de iure naturali, uel positiuo & diuino. Primũ nõ uidetur, cùm hoc nõ sit notũ in lumine naturali, imò secũdũ sententiã Greg. neq; cognosci quicqd esse potest sine auxilio speciali. ergo nõ est de iure nãli positiuo, aut nõ cõstat un. neq;. n. Paulus cũ dixit, Oĩa in gloriã Deifacite, uoluit aliqd nouũ ius promulgare, neq; aliqs

philosoph

philosophorum hoc unquam dixit, qui tamen lumen naturale habebãt. Item, dato quòd esset præceptum illius relationis, Paulus apertè excusat ignorantẽ, ad Rom. 10. Quomodo inuocabunt in quem nõ crediderunt? Quòd si non credere est sine culpa, ut suprà probatũ est, ergo nõ inuocare, uel nõ referre in illũ actiones suas erit sine culpa. Et quidem de relatione formali in Deum, uel concomitante, uel etiã præcedente. Ita tenet Caiet. 1.2.q.10.art.4. Dicit tamen quòd per hoc, q̃ actus humani referantur in bonum obiectũ, feruntur in Deũ, quia feruntur in res eo modo, quo Deus instituit, sicut & omnia naturalia fiunt propter finẽ. 2. Physic. & tamen non semper referuntur in talẽ finem ab ipso agente, ut actus hirundinis cùm cõponit nidũ, aut formicę cùm frumentatur in æstate, referũtur quidem ad certos fines, nõ ab hirundine uel formica, sed à superiori intelligentia. Ita cùm homo operatur bonum ex genere, licet non referat in Deũ, tamen illi actus relati sunt in Deum ipsum, hoc dicit S. Tho. 2. d. 38. art. 10. Rerum (inquit) omnium unus est finis ultimus, id est Deus. Ita & uolũtatum omniũ unus est finis ultimus, scilicet Deus. nihilominus sunt alii fines proximi, & si secundum illos fines seruatur debita relatio uoluntatis in ultimum finẽ, erit recta uoluntas. Debita

Rom. 10.

Cæietanus.

S. Thomas.

bita autem relatio seruatur secundũ illum finẽ, quo uolũtas nata est ultimũ finem participare, omnia propter semetipsum operatus: sicut seruus, qui suũ officiũ facit, si eius dominus constituit, uirtualiter facit propter dominũ, & ad finẽ, quem dominus ordinauit. Et uidetur facere ad hoc, quòd S. Tho. dicit 1. 2. q. 21. ar. 3 & 4. q homo natura est animal ciuile & sociale. Qui autẽ in societate aut ciuitate uiuit, pars est ciuitatis. Qui ergo aliquid in bonũ & in commodũ facit alicuius priuati hominis, facit etiã in bonum publicũ & cõmune, sicut qui priuatum hominẽ lædit, bonũ cõmune lædit, cuius ille est pars, atque laudem & præmiũ meretur, non à priuato homine solùm, sed etiã à tota ciuitate aut collegio, & eadem ratione ab eo qui prẽsidet collegio & ciuitati humanę, & si nihil de Deo cogitet. Et certè hoc naturalis ratio dictat. Et confirmatur, Certè enim uidetur iniquũ & contra Dei bonitatẽ excogitatũ, q offendatur Deus etiã ab illo, qui nihil minus cogitat, quàm Deũ offendere. & tamen bene agere nemo potest, nisi Deo placere studeat, nec est quisquam qui nõ laudet uel probet factum aut bonũ collatũ in amicum suũ, aut utrũque necessarium, etiã qui sibi nullo modo ualuerit gratificare. Vt quid ergo affirmamus Deũ cõdẽnare, & omnia officia collata in Dei filios, S. Thomas.

qui

qui non reſpectu Dei faciunt, neq; Deus præcepit parentes honorare propter Deũ, ſed honorare ſolùm: & ita de aliis præceptis ita implere, utrebus ipſius expediebat. ſunt enim præcepta diſtincta de cultu diuino, & de reb⁹ humanis: atq; adeo nihil neceſſe eſt in omnibus aliis actibus Deum colere. Secundum dubiũ in hac
3 ſecunda quæſtione eſt, An* omnis talis perueniens ad uſum rationis poſsit peccare. Et loquimur ſemper de illo qui nec Deũ cognoſcit, nec poteſt cognoſcere. Et pro parte negatiua fiunt argumenta, neque leuia, neque ita facilè expedibilia. Videtur enim, q̃ ille qui Deũ non poteſt cognoſcere, pro eo quidem tẽpore neque peccare quidẽ poſsit. & primò quidẽ, quia Deum eſſe, imò Deum eſſe dominũ, eſt præambulum ad legem diuinam: ut S. Tho. ait. 2. 2. q. 16. arti. 1. quia preſſupponitur ante ſuſceptionẽ legis, ut quis fateatur ſubiectionẽ legiſlatori, iuxta illud, Accedentẽ ad Deũ oportet credere quia eſt. neq; eſt intelligibile, ut quis recipiat legẽ ab illo, quẽ non cognoſcit ſuperiorẽ. Vnde qui nõ tenetur recipere aut cognoſcere Deũ, aut legiſlatorẽ, neque legem eius tenetur recipere. ergo iſte, quẽ ponimus ſine culpa ſua ignorãtẽ Deũ, nõ tenet recipere legẽ Dei, neq; illi obedire. Sed peccatũ eſt dictũ, uel factũ, uel cõcupitus cõtra legẽ Dei. ergo. Et probat authoritate

thoritate Aug. 22. cõtra Faust. & Ambr. dicunt enim quòd est cælestiũ inobedientia mãdatorum. ergo uidetur q̃ in tali non possit esse peccatũ. Et cõfirmatur, Ego nõ habeo dominum neque superiorẽ cui tenear obedire. ergo non obligor aliqua lege. ergo nõ pecco. Cõsequentiæ uidentur notæ, quia nullus tenetur aliqua lege, nisi superioris: neque peccat, nisi faciẽdo contra id ad quod tenetur. Sed antecedens est inuincibiliter creditum ab isto. ergo & consequens, & per consequens excusatur ignorãtia inuincibili. Item sequitur, Non est Deus, ergo nullum est peccatum. Et consequẽtia uidetur nota, quia peccatum non est nisi contra legem Dei. Antecedens est inuincibiliter creditũ ab isto, ergo & consequens. Et confirmatur, quia si per impossibile non esset Deus, nullus obligaretur. Sed pro eodem uidetur haberi, quòd non sit Deus, & quòd non possit cognosci an sit, sicut quantùm ad obligationem, pro eo facto habetur, quòd quis non haberet regem, uel ignoraret inuincibiliter se non habere regem, omnino est absurdũ dicere quòd rex obliget me, de quo ego inuincibiliter iudico, q̃ nõ est rex meus. Et probat, quia in omni mortali est auersio à Deo. ergo si nõ esset Deus, uidetur quòd nõ esset mortale. Item Apostolus Ro. 4. Vbi non est lex, neque præuaricatio. ubi

per

per præuaricationē nihil aliud uidetur intelligere, niſi peccatum, ergo ubi ignoratur lex inuincibiliter, etiam non erit peccatū, quia idem uidetur iudiciū, q̄ non ſit lex, & q̄ ignoretur. Et confirmatur, quia lex non obligat niſi promulgata: in decretis leges inſtituuntur cū promulgātur. Si ergo quis ignoret legem, nō obligatur lege. Itē quia actus eſt bonus, uel malus inquantum eſt conformis, uel difformis rationi. 2. Eth. Sed ratio humana nō habet uim obligandi neque rationē legis niſi à lege diuina. ergo qui propter ignorantiā excuſatur à lege diuina, ergo à lege rationis. Et cōfirmatur, quia leges humanæ non obligant niſi uirtute legis diuinæ, quia omnis poteſtas à domino Deo eſt, ad Ro. 13. & Dominus in Euan. Io. 19. Non haberes poteſtatē aduerſus me ullam niſi tibi deſuper eſſet datum. ergo etiā neque ratio humana habet uim obligandi niſi à lege diuina. Itē omne malū eſt malum, quia prohibitum à lege æterna. ergo ſi ignoratur lex æterna, uidetur q̄ excuſet à peccato: ſed qui ignorat Deū, ignorat legem Dei, ut probatum eſt. ergo excuſatur à peccato. Antecedens eſt S. Tho. 1. 2. q. 71. ar. 6. ad quartum, ubi dicit, quòd omne peccatum eſt malum, quia prohibitum intelligitur peccatum iure poſitiuo. Sed omne peccatū eſt malum, quia prohibitum lege ęterna. Item,

Rom. 13.
Iohan. 19.
S. Thomas.

uidetur

uidetur quòd S. Thom. dicit illic ad quintum, Peccatum quidem à philosopho consideratur ut est contra rationem, sed à theologo ut est offensa Dei. Mirabile autē uidetur, q̄ quis offendat Deū, quē neq; cognoscit, neq; tenetur cognoscere. Et confirmatur, quia ponamus q̄ talis antequā cognoscat, neque possit cognoscere, sed incipiens inquirere an sit Deus, nec ne, habet tale propositum, si scirē esse Deum, ego uellem placere illi in omnibus, tunc uidetur quicquid faciat, quòd excusetur. Item si quis ignoret inuincibiliter Dominum, nō tenetur præceptis Domini: ergo qui ignorat Deum, non tenetur præceptis Dei. Item habet ignorātiam inuincibilem obligationis ad pœnam neque inferni neque purgatorii, ergo uidetur q̄ saltē nō imputetur ei peccatū. Itē facit id, si non uenissem, & loquutus eis non fuissem, peccatum non haberent, ergo à simili si non cognoscatur Deus. & Iohan. 15. & 14. Ista & alia similia, quæ pro parte negatiua afferri possent, certè non parum mouere possunt ad suadēdam partem negatiuam, quòd scilicet antequā cognoscat, aut cognoscere possit Deū, non potest peccare. Pro parte autem affirmatiua non oportet multa adducere, cùm sit consensus omnium doctorum, quòd quicunque habet usum rationis, potest bene uel malè age

A re. Imò

re. Imò hoc uidetur ex diffinitione usus rationis, aut liberi arbitri. probatur tamen, quia aliqui actus sunt intrinsecè mali, ut mendaciũ ex sententia Augustini, & doctorũ: ergo si fiat ab habente usum rationis, erit peccatum. Itẽ probatur apertè ex illo Psal. 4. Multi dicunt, Quis ostendit nobis bona? signatum est super nos, &c. ubi uidetur tolli excusatio ignorãtiæ. Itẽ, aliâs prima principia non essent necessaria, puta, Nõ est faciendum alteri quod tibi non uis fieri, quia in tali casu omnia licerent, si nõ posset peccare. Ad hoc non uidetur omnino certum quid dicẽdum sit, & si liceret more iurisconsultorum noua dogmata asserere, & recta in discrimen uocare, non uidetur absurdum defendere duas propositiones sequentes. Prima, Quicunque habet usum rationis, potest quamprimum bene & malè agere, & propriè peccare. Ista propositio satis probata est. Secũda propositio, Quicunque non cognoscit nec potest cognoscere Deũ, non habet usum rationis. & sic de eo de quo positũ est dubium tam primũ quàm secundũ quàm tertiũ, diceremus, q̃ ista dubia præsupponũt falsum, q̃ scilicet talis habet usum rationis, qui nõ potest cognoscere Deũ, sed dicere q̃ est idẽ iudiciũ de illo, & de puero, & amẽte, neq; bene neq; malè potest agere. & sicut suprà diximus quãtũcunque

quis

quis habeat usum rationis in artificialibus, uel in quibuscũq; aliis, si tamẽ nõ possit sufficiẽter deliberare de moribꝫ, diximus ꝙ nõ habet sim pliciter usum rationis, ut loquit theologus & philosophus. Ita uidet dicẽdũ de eo, qui nõ cognoscit, neque potest cognoscere Deũ, ꝙ quã tuncũque utatur ratione & cõsultet, nõdũ peruenit ad usum ratiõis, quia nõ potest delibera re de bono & malo: ꝙa ut uidet sentire S. Tho. 1.2.q.19.ar.4.& q.71.ar.6. nihil est bonũ aut ma S. Thom. lũ, nisi ꝙa probat, aut reprobat in lege diuina: & ideo qui nõ cognoscit legẽ diuinã, deficit ei principiũ ad deliberandũ de agẽdis, & sic non habet usum rationis. & confirmatur hoc, quia si per impossibile quis priuaretur notitia prio rũ principiorũ circa agibilia, quãtuncũque ha beret principia speculatiuarũ sciẽtiarũ, imò & cõclusiones, nõ diceret habere usum rationis, sicut neq; bruta animãtia, & si discurrerent de mediis ad finẽ, & haberẽt potestatẽ agẽdi, & co gnoscẽdi, nõ dicerent habere liberũ arbitriũ, quia nõ cognoscerẽt bonũ, aut malũ in mino ribus. Et possent ista cõfirmari ex illo ad Ro.1. Qui cũ cognouissent Deũ, nõ sicut Deũ glori ficauerũt: ita ut sint inexcusabiles. unde uidet, ꝙ si non cognoscerẽt, essent excusabiles. Ne que uideo quàm posset hoc uehemẽter impu gnari, neque magna inconueniẽtia possent ex

hoc sequi, & maximè, quia ut suprà dictum est, prouidentia Dei factum est, ut hoc uel nō possit contingere, uel breui admodum tempore, ut non possit quis habere notitiā de Deo, non uidetur incōueniens, si quis paruula morula nō sit capax boni aut mali, quātumuis in aliis bene intelligat. Sed quia hoc non omnibus auribus placeret, & nouū uideretur, ideo ad dubium affirmatiuè respondeo per hanc
9 propositionē, Antequam* aliquis aut cognoscat aut possit cognoscere Deum, potest peccare. Ista propositio prēter probationes iam positas adhuc potest probari, quia agere contra conscientiam est peccatum, iuxta illud Pauli, Omne quod non est ex fide, peccatum est: in tantum, ut etiam uoluntas discordans à conscientia, falsa sit & mala, ut omnes doctores dicunt. Sed ignorans sic Deum potest facere cōtra conscientiam, quia naturaliter homo iudicat quòd est malum iniuriā facere innocenti, parentes esse honorandos, ergo potest malè agere, & per consequens peccare. Confirmatur, quia etiam philosophi illi, uel qui negabāt Deū esse, ut Diagoras, uel qui negabant saltē quicquā ad Deum uel Deos attinere factum bonum, ut Democritus & Epicurus, dicebāt tamē aliqua esse bona, alia mala, & peccatū, & laudabilia, & uituperabilia, ergo id non dependet

det ex notitia Dei. Itē aliâs si nullū peccatum mortale esset per se notū, nullū ergo principiū esset per se notū. Itē sequit, ergo, q̄ quicūque nō habet euidētiā, q̄ Deus est, nō habet euidē tiā de aliquo malo, aut peccato. Patet cōsequē tia manifestè Quia si periuriū esset manifestè peccatū, uel homicidium, pēdet ex hoc principio, q̄ Deus est: ergo qui nō habet euidētiā de illo peccato, ergo neque de alio, scilicet q̄ homicidiū est peccatū, sicut nō potest habere eui dētiā maiorem aut certitudinē de baptismo, quàm de Christo. Ad ratiões in cōtrariū Gregorius quidē Ariminēsis in 3. d. 34. tenet duo. Primū, dato per impossibile, q̄ nō esset Deus, adhuc esset peccatū, & malū morale. secūdū dato, q̄ nulla esset lex prohibitiua diuina, adhuc est peccatū. Infert corollarium, q̄ multa sunt peccata ita secundū se mala, q̄ nō sunt mala, q̄a prohibita etiā lege diuina, fundamētū eius potissimū est, quia ad hoc, q̄ quis malè agat, satis est q̄ agat cōtra rectā rationē, siue humanā, si ue angelicā. Cùm ergo hoc posset esse, etiā neque Deo neq; aliqua diuina lege existēte, ergo illa duo dicta cū corollario sunt uera. Itē ad Ro. 2. Gentes quę legem nō habēt, naturaliter quæ sunt legis faciūt: ipsi enim sibi sunt lex. ergo ratio sufficit. Et cōfirmatur, quia si nihil est malū nisi prohibitū, cùm posset nihil esse pro

hibitũ, posset nihil esse peccatũ. Et sic odium Dei, & periuriũ possent nõ esse mala. Hãc tamẽ propositionẽ nullo modo puto probabilẽ: neq; est intelligibile quomodo aliquis peccet si omnino nõ obligatur, neque uideo quomodo intelligatur, si nõ habet superiorem. atque adeò si uel Deus nõ esset, uel nihil præciperet, ego nõ dubito, quin nullum esset propriè peccatum aut malum morale, licet poset esse peccatum, sicut est in natura uel in arte: nec erit aliter malũ quòd homo interficeret patrẽ, quàm quòd lupus interficeret matrem, quòd uidetur etiã probari: quia etiam in his, quæ de se mala sunt, si fiant authoritate diuina, desinunt esse mala, ut interficere innocẽtem. Ergo si quid bonum aut malum est, tota bonitas aut malitia dependet ex authoritate diuina, & omnis obligatio est ex lege, sed lex non potest fieri nisi à cõmunitate, uel superiori, S. Thom. 1.2.q.9.articu.2. Ex quo infero, quòd Deus nullo modo obligari potest, quia non habet superiorem. neque potest certè explicari quid sit Deum obligari. Si enim de lege nõ stat, quin faciat hoc, uel quòd faciat illud. tũc ergo obligatur diligere se, & filiũ, & Spiritũ sanctũ, & generare filiũ, et itẽ quicqd aliud faciat pater ad extra quãtuncũque cõstituerit legẽ, gratis omnino facit. ergo nõ obligatur, ne

S. Thom.

que

que promissio diuina, aut lex inducit proprie obligationē in Deū sed rectitudinē Secūdò in fero, q̄ licet bene asseratur à theologis, q̄ sunt quædā quę Deus nō potest facere, ut peierare, nō seruare promissum, & similia: tamen malè cōcedūt, q̄ si faceret, peccaret. Nō enim sequit̄ per locū intrinsecū, Deus mentit̄, ergo peccat, nō plus quàm sequitur, Deus facit duo cōtradictoria: ergo peccat. patet corollariū, quia nō tenetur, nec obligatur, sed est eodē modo impossibile Deū mētiri, sicut non esse, uel mori, uel ægrotare. Et ideo relicta imaginatiōe Gregorii, aliter dico ad argumēta facta cū S. Tho.
10 1.2.q.19.ar.4.ad tertiū, q̄ *lex diuina dupliciter potest cōsiderari à nobis, uno modo ut est in ipso Deo. & sic omnino est nobis ignota, neque hoc nos obligare posset. Alio modo prout nobis innotescit, uel per lumē naturale, uel per reuelationem: & hoc modo nos obligat. Dico ergo, quòd aliquis obligetur lege diuina, non oportet ut formaliter faciat esse aliquā legem, uel legislatorem, à quo lata sit, sed satis est quòd sciat aliquid esse bonum, uel malum, etiam si ignoraret omnino causam quare est bonum uel malum, uel utrum sit prohibitum uel non. Et sic talis qui ponitur sine cognitione Dei adhuc ex casu, postquam ponimus eum habētem usum rationis,

cognoscit aliquid esse malum, aliud bonũ, & hoc satis est ut possit peccare, quia cognoscit aliquid esse uituperabile, & hoc est qa malũ S. Tho. 1.2.q.21.ar.2.dicit, Ex hoc actus est laudabilis uel culpabilis, quia est bonus uel malus. Et hoc cõfirmatur apparẽter, quia si ignorantia Dei inuincibilis omnino excusaret à peccato, ergo dato q̃ ignorantia esset culpabilis deobligaret ab aliis præceptis legis diuinæ. Et qui omnino ex ignorantia crassa ignoraret Deũ esse, nõ teneret honorare parẽtes, neque diligere proximũ. Consequẽs est absurdum, dicere, q̃ impii negãtes Deũ esse, solùm peccarent illo peccato, & nõ fornicando, neque occidendo: ergo nullo modo est admittendum. Probo q̃ sequatur. Nam si ignorãtes Christũ inuincibiliter omnino excusantur à culpa, ita etiam ignorantes uincibiliter: licet peccarent illo peccato infidelitatis, tamen excusantur ab aliis præceptis Christi, ut de confessione, Eucharistia, & aliis. Neque Saraceni peccãt, quia nõ cõfitẽtur, uel sumũt eucharistiã. Ergo etiã à simili si ignorantia Dei excusat ab omni peccato, ergo ignorantia culpabilis Dei excusabit ab aliis præceptis. Et per hoc potest respondẽri ad omnia argumenta. & ideo perseuero in conclusione supra posita, q̃ etiã ille, qui perueniens ad usum rationis, neque habet neque potest

test habere notitiã de Deo, posset nihilomin⁹ peccare. sed ex alio capite arguo, quòd perueniensad usum rationis, nõ possit peccare saltẽ pro primo instanti usus rationis, quantumcunque habeat notitiam Dei: & loquimur de eo, qui nutritus est & educatus in uera religione. Et arguo sic, maximè in uia sancti Thomę, homo non potest peccare in primo instanti sui esse, ergo neque in primo instanti usus rationis. Antecedens est sancti Thomæ, tum in multis locis, tum in prima parte, quæstione sexagesima tertia, articulo quinto. Consequentia probatur, quia tempus præcedẽs ante usum rationis, uidetur omnino pro nihilo reputandum, quantùm ad bonitatem uel malitiam hominis spectat, nec uidetur habere maiorem potestatem homo per hoc, quòd priùs fuerit sine usu rationis, quàm si nunc inciperet esse cum usu rationis. Si ergo inceperit esse cum usu rationis, non potest peccare: contrà, nec ille, qui nũc primò peruenit ad usum rationis. Et confirmatur hoc, Sit puer quatuor annorum, cui Dominus pro hoc instanti acceleret usum rationis, & incipiat habere usum rationis, & sit alius quem Deus creet in eodem instanti cum simili usu rationis, certè nulla uidetur ratio, quòd primus possit peccare, & non secundus Et confirmatur secundò, quia si Adam nõ po-

tuisset peccare in primo instanti, in quo creatus est, nulla uidetur ratio, quòd si creasset per unam horam antè sine usu rationis, quòd hoc idem fiet, ut possit peccare, cum primum habet usum rationis. Secũdò arguo ratione S. Tho. quia primus actus creaturæ rationalis est ex inclinatione naturali: sed inclinatio naturalis nõ potest esse ad malum, ergo primus actus nõ potest esse malus. Maior probatur, quia id, quod est per se, est prius eo, quod est per accidens, sed naturalia sunt per se, ergo primus actus est ex inclinatione naturali. Minor autem patet, quia inclinatio naturalis tribuitur generanti, 8. Physic. sicut motus grauium & leuium: ergo si actus ex inclinatione naturali esset malus, tribueretur Deo. Sed hoc argumentũ uidetur eodem modo procedere in primo instãti usus rationis, quia est primus actus: tunc non poterit esse peccatum. Et confirmatur, quia primus actus in perueniente ad usum rationis uidetur quòd sit dilectio sui, sed illa non potest esse mala. ergo primus actus in instanti usus rationis non potest esse malus. Maior uidetur 8. Ethi. Amicabilia ad alterum sunt ex amicabilibus ad se. ergo primus actus est dilectio sui. Minor patet, quia diligere seipsum, est ex inclinatione naturali. ergo non potest esse mala. His tamen non obstantibus dico, quòd perueniens

ueniẽs ad usum rationis, in primo instanti po test peccare, quia est liber ad bonũ & malũ. hoc enim importat ad liberum arbitrium. Est conclusio sancti Thomæ Prima secundæ, quęstio ne octuagesimanona, articulo sext. & omniũ. Item aliâs sequitur, quòd omnis talis perueniens ad usum rationis haberet necessariò gratiam sine sacramento, etiam Saracenus, uel Iudæus. Patet, quia uel facit totum quod tenetur pro illo tempore, uel non: si non, ergo peccat in primo instanti, & habet intentum principale. Si facit totum quod in se est ad quod tenetur, ergo recipit gratiam. nam facienti quod in se est Deus non deficit in necessariis ad salutem, ut est regula theologorum. ergo. Ad argumenta. Primò possem dicere, quòd idem est iudicium de primo instanti usus rationis, & simpliciter de primo instanti sui esse, & quòd sanctus Thomas non intendit negare, quòd homo in primo instanti sui esse non possit peccare, sed solùm quòd primus actus non possit esse peccatum. Secus autem per omissionem, neque argumenta eius id uidentur probare: nunquam enim probat quin possit peccare per omissionem. Et dicendum de primo instanti usus rationis, q̃ talis scilicet non potest peccare cõmissiuè, sed bene omissiuè. Et certè nõ est facile probare differẽtiã, quãtũ

ad hoc

ad hoc, inter primum instans usus rationis, & primum instans simpliciter. Aliter dico, & fortè plus ad mentẽ sancti Thomę, negando consequentiam factam in argumento à primo instanti simpliciter, ad primum instans usus rationis. Et ratio differẽtię est, quia qui nũc primò peruenit ad usum rationis, priùs habuit multos actus intellectus & uoluntatis: & dilexit se, & per consequens iam patet habere alios actus circa alia obiecta, & sic potest habere actus malos. Quamuis enim actus usus rationis nihil faciant ad bonitatem aut malitiam, faciunt tamẽ ad ordinem actuum, ut scilicet possit quis habere aliquos actus cùm peruenerit ad usum rationis, quos non posset habere, nisi illi præcessissent: notum enim est, quòd educatio ante usum rationis multùm facit ad actus sequentes usus rationis, atque adeo permultũ interest ad mores, qualis fuerit instructio ante usum rationis. Bene autem concedo, quòd si fieri potest, increatus sine usu rationis nullum actũ habet ante usum rationis, omnino idem esset iudicium de illo, & simpliciter de primo instanti esse: nihil enim refert an sit primũ instans simpliciter, an nõ, si priùs nullum actum habuit. Et hoc de secundo dubio huius secundæ partis & quæstionis. Quartum dubium circa eandem quæstionem est, An * possit quis

11

habe

habere usum rationis ad peccandum uenialiter, priusquam ad peccandum mortaliter, hoc est, an possit peruenire ad talem statum, ut sit sufficiens ad peccandum uenialiter, & non peccandum mortaliter. & uidetur quòd sic. Nam semiplena deliberatio sufficit ad peccandum uenialiter & non mortaliter. Sed potest quis imperfectè deliberare antequam homo perfectè possit: ergo poterat peccare uenialiter antequam posset mortaliter. Maior conceditur ab omnibus theologis. & probatur manifestè de motibus subitis circa materiam moralem, qui propter defectum deliberationis non imputatur ad mortale. Minor uerò probat̃, quia maior capacitas requiritur ad perfectè deliberandum, quàm ad imperfectè. Et hoc uidetur sentire Iacobus c. 1. Concupiscentia cùm conceperit, parit peccatum, peccatum uerò cùm consummatum fierit, generat mortem. Et confirmatur, quia post primum tempus usus rationis contingit frequenter in adulto, ut habeat sufficientem notitiam ad peccandum uenialiter, & non ad peccandũ mortaliter, quare non ita poterit in primo instanti usus rationis contingere. Item uidetur, quòd aliquando ebrietas uel furia, relinquãt usum rationis imperfectum sufficientem ad ueniale, & nõ ad mortale. Quare non poterit quis naturaliter uenire

ad

ad illam dispositionem. Item, hominem uehementer iratum excusamus sæpe à mortali circa materiam ex genere mortalẽ, & nõ à uenia-
li, & non uidetur, quia naturaliter quis posset peruenire ad similem dispositionẽ. Itẽ usus rationis acquiritur successiuè: peruenit enim ex transmutatione naturalium qualitatum, quæ nõ simul tota fit: ergo poterit priùs habere usum rationis imperfectum, quàm perfectum,
S. Thomas. & sic peccare uenialiter. Confirmat ex S. Tho. 4. distin. q. 1. arti. 4. q. 2. ad quintum. Vbi dicit, quòd consensus in pollutione postquam quis euigilauit à somno, aliquãdo quidẽ est mortalis, si sit ex plena deliberatione: uenialis uerò, si sit ex surreptiõe. unde patet, q̃ postquã perdidit usum rationis, potest ita redire ad illũ, ut prius ueniat imperfectè ut sufficiat ad peccandũ uenialiter, priusquã ad peccãdũ mortaliter, quod nõ est nisi postquã est plenè expergefactus: ergo omnino uidetur, q̃ similiter carens usu ratiõis possit etiã illicò peruenire ad usum rationis successiuè: omnino enim uidẽtur similes quãtũ ad hoc, & dormiẽs, & puer. His tamẽ nõ obstãtib⁹ dico negatiuè, q̃ impossibile est, ut aliquis primò peruenìat ad talẽ usum rationis, q̃ possit uenialiter peccare, & nõ mortaliter. Ista cõclusio est S. Tho. 1. 2. q. 89. arti. 6. idẽ in 2. di. q. 1. ar. 4. & probatur. Primò, quia materia

ria peccatorũ mortaliũ notior est, quàm uenia liũ, ut notius est, q̃ homicidiũ, periurium sunt mala, quàm mẽdaciũ, uel uerbũ otiosum. ergo nõ potest quis ita esse dispositus, ut possit cognoscere uenialia peccata, & nullũ mortale. Itẽ prima deliberatio nõ potest esse circa materiã particularẽ, ut puta circa mẽdaciũ, uel ludũ, uel uanã gloriã, uel aliquid simile: sed necessariũ est ut incipiat ab aliquo uniuersali, puta, q̃ est lex, cui tenemur obedire, uel q̃ homo potest bene aut malè agere, & posita deliberatione tali, in uniuersali sufficit ad mortaliter peccãdũ: & clarũ est, q̃ priùs est ut homo cognoscat q̃ est aliquod malũ graue & aliquod leue, quàm q̃ mẽdaciũ est malũ. hoc enim per se nõ est notũ, & præsupponit alias cognitiones sufficientes ad mortale. Itẽ usus rationis, qui sufficit ad bene agẽdũ mortaliter, sufficit ad mortaliter peccãdũ: sed impossibile est ut quis habeat usum ratiõis ad peccãdũ uenialiter, quin possit bene moraliter agere. ergo omnis talis potest mortaliter peccare. Maior probatur, quia ad bene moraliter agendũ, requiritur plena deliberatio: ut uidet 2. Ethi. quòd ad bene agẽdũ oportet ut quis agat sciens, eligens, & propter hoc, prout sapiens determinauerit. Minor uerò patet, quia si quis posset peccare, & non bene agere, daretur uiator sine culpa in statu

pec

peccandi, & non merendi, quod uidetur inconueniẽs. Et confirmatur, quia nõ potest ita perdi usus rationis, ut maneat sufficiẽs ad peccandum uenialiter, & non mortaliter: ergo neque etiam ita acquiri. Antecedens probatur, quia nunquam damus amentem, neque auditum est de quo putemus quòd possit uenialiter peccare, & non bene agere. Item probatur à posteriori, quia sequitur, quòd possit esse peccatum ueniale cum solo originali, quod infrà ostendemus esse impossibile. S. Tho. 2. d. q. 1. art. 4. ad 7. sic dicit, Si aliquid est sufficiens ad excusandum maius peccatũ, multo amplius sufficit ad excusandum minus peccatum. Sed imperfectio ætatis excusat peccatum mortale: ergo multo amplius excusat ueniale. & ideo non potest esse quòd homo uenialiter peccet ante illud tẽpus, quo usum rationis habet, ut iam mortaliter possit peccare. Ad argumenta uerò in contrarium dico, quòd nunquam aliquis semiplenè deliberat, quin possit plenè deliberare, licet sit difficilius: & sic posset mortaliter paccare. Et sic causa quare motus subiti sunt ueniales, non est, quia non perfectè potest deliberare, sed quia non perfectè deliberat. Vnde quantumcunque aliquis posset perfectè, imò faciliter deliberare circa materiam illecebram, si tamen non deliberat actu, nunquam

S Thomas.

quam est mortale, quantumcunque duret & perseueret illecebra. Secūdò dico, quòd postquam aliquis plenè & pluries deliberauit perfectè, potest semiplenè deliberare, sed non anté. Nam imperfecta deliberatio præsupponit perfectam: ex eo enim quòd quis cognoscit quòd homicidium est peccatū mortale, postea subitò cognoscet esse malum, licet non consideret esse mortale. Ad secundum patet, quia uel nego, quòd talis non possit perfectè deliberare: uel non est simile, quia in adulto præcessit plena deliberatio, & iam non potest esse semiplena, non ita est de alio. Ad tertium de ebrio, licet etiam posset dici, quòd non est simile, quia in ebrio præcessit deliberatio perfecta, sed melius nego, quòd hoc possit contingere: impossibile est enim quòd cognoscat mendacium esse peccatum, & non periurium, uel homicidium. Ad quartum patet per idem, quia excusatur, quia non deliberat, non quin possit deliberare, aliâs esset amens. Ad quintū primò transeat assumptum, sed priùs est circa materias uniuersales, quàm particulares, & priùs circa materias grauiores, quàm leuiores. Secundò dico, & ueriùs, quòd omnino est impossibile, ut quis habeat usum rationis ad deliberandum in una materia, quin etiam possit deliberare de quacunque materia quæ se offe-

ret. Clarum est enim quòd si quis cognoscit quòd potest bene & malè agere de quacunque materia agendorum oblata, poterit dubitare an sit bona, uel mala, & per consequens cogitare an sit bonum scilicet, an malum: & similiter est ac si quis diceret, quòd aliquis dialecticus potest nectere syllogismum ex materia philosophica, & nõ mathematica. Ad textum, & patet ex dictis, nam talis potest deliberare perfectè, sed non deliberat. Et item, ut dictum est, non est simile, quia iam præcessit deliberatio perfecta. & omnia argumẽta præsupponunt falsum, scilicet quòd detur tẽpus, in quo quis potest primò deliberare, cuius oppositum suprà probatum est.

Tertia pars SEQVITVR tertia pars, & quæstio principalis huius relectionis, Ad quid teneatur homo cumprimum peruenit ad primum instans usus rationis. Et intelligo quæstionem per se loquendo, id est ex eo solum, ꝙ peruenit ad usum rationis, excludẽdo à quæstione, si tũc occurrat per accidẽs necessitas implendi aliquod pręceptũ particulare. Et uidetur ꝙ non teneatur aliquo pręcepto, pro illo primo instãti usus rationis, & loquamur generaliter de omni tali ad usum rationis ueniẽte. Arguit ergo primo ad partẽ negatiuã, quia saltẽ loquẽdo de eo, qui nõ sit institutus à sapiẽtibus, omnino ignoraret, neque posset scire tale

præce

præceptū, cùm nō sit per se notum. ergo non tenebitur pro tali istāti. Itē confirmatur, Quia tale præceptum est in dubio etiā inter sapiētes theologos; multi enim tenēt partē negatiuam. ergo indiget quis tēpore ad sciendū illud præceptum, & sic nō obligat in primo instanti. Itē non potest scire quomodo primo peruenit ad usum rationis. ergo nō potest scire quomodo obligat tali præcepto. Antecedēs enim est manifestū: quis enim unquā notauit, ego nūc primò habeo usum rationis? imò neque per aliquātam differentiā & spatiū tēporis. Itē, trāsacto illo primò instanti, nō tenetur statim, & si tūc omiserit, ergo neque in illo. Itē, qui est in peccato mortali, non tenetur se conuertere in Deum in primo instāti usus rationis. ergo ille qui est in originali, & multo minus qui est baptizatus, tenet se conuertere in Deū in primo instāti usus rationis. Et cōfirmat, quia nullus etiam de numero eorum, qui timēt Deum, & sunt soliciti de salute sua, sentit cōscietiā de tali trāsgressione, neque pœnitet, aut confitetur de illa, cū tamē nemo sit qui audeat affirmare se implesse tale præceptū. ergo nō est ponēdū tale præceptū. In cōtrarium est, quia si pro illo instanti nō obligat, cùm nō sit maior ratio de tempore præsenti, eadem ratione nunquam obligabitur: quod non uidetur dicendum.

Neque uidetur sufficiens solutio communis, quòd tenetur semel in uita. Hoc enim est absurdum dicere, quòd Adam aut Mathusalen, qui millenos annos uixerunt, possent nongentos annos licitè transigere sine fide, aut dilectione Dei. Neque satisfacit alia solutio, quòd dantur induciæ, nam de iure naturali non possunt determinari tales induciæ, iure autẽ positiuo multo minus. Respondetur primò, Nihil exploratũ potest haberi, neque ex Scripturis, neque ex doctoribus in hac quæstione, quia quicquid dicatur, uidentur sequi non leuia inconueniẽtia, neque expediri facile possunt argumenta. Sed quod ueri similius uidetur, di-
12 cam paucis propositionibus, prima, Nõ* quilibet perueniens ad usum rationis tenetur se cõuertere in Deũ explicitè, distinctè & formaliter. Ista propositio est expressè Caieta. 2.2. q. 10. arti. 4. ubi dicit expressè, q̃ ad diligendum Deum explicitè ut finem naturæ & uniuersè non tenetur homo semper, cùm sit præceptum affirmatiuum, neque statim, quia non tenetur priùs diligere, quàm cognoscere. Constat autem, quòd post multum temporis aduenit homini ista cognitio, naturaliter loquẽdo. Eandem tenet. 1.2. q. 89. articu. 6. & probatur efficaciter ex ratione Caieta. & ex aliis rationibus suprà positis, quibus probatum est, quòd

Caieta.

homo

homo nō statim postquam peruenit ad usum rationis, potest cognoscere Deum, quia nullus obligatur ad impossibile, ut ait Hieronymus, & certum est. ergo homo nō tenetur statim diligere Deum. Item procedit argumentū statim factū, quia non omnes sciunt, neque possunt scire tale præceptū statim. Itē nusquā legitur hoc præceptum. ergo temerè asseritur. Assumptum probatur, quia uel esset illud, Cō uertimini ad me. quod habetur & apud Hiere. & Oseam, & Ezechi. & Iohelem, & alios prophetas: uel ex illo præcepto, Diliges dominū Deū tuū ex toto corde tuo. quod habet Deute. 6. & Matth. 22. & Luc. 10. Sed primùm, ut dictum est, obligatio nō est ad impossibile. Secundò id præceptum, Cōuertimini ad me, ut patet ex propriis locis, fit ad peccatores actualibus peccatis, nec est mentio de aliis. Item ubi habetur, quòd illud præceptum Conuertimini ad me, obligat statim potius quàm alia præcepta affirmatiua? Itē illud præceptū expressè est de pœnitentia, ut patet locis suis, quia in omnibus locis ponitur, Et agite pœnitētiā, uel in ieiunio, fletu, & plāctu, uel, à uiis uestris pessimis, sed ad pœnitentiam, ut est communis sententia omnium, nō tenetur aliquis statim. ergo nec etiam ante peccatum. Aliud uerò præceptum de dilectione Dei refellitur eisdem ar-

gumentis. Item non tenetur quis statim crede re, ergo neque cõuerti. Consequẽtia est nota ex Paulo ad Hebræos 11. Accedentem ad Deũ oportet credere quia est. Antecedens patet ex eodẽ Paulo ad Roma. 10. Quomodo credẽt ei quem nõ audierunt? quomodo autẽ audiẽt sine prædicãte? sed nõ quilibet statim potest habere prædicatorẽ, ergo neque potest credere. Et cõfirmatur ex eodẽ loco Pauli, Quomodo inuocabũt, in quem nõ crediderũt? sed de hoc plura in 4. qõ. Oppositũ hus partis tenet Capreolus 2. d. 40. quæstione unica ad argumẽta Scoti cõtra secundã quæstionẽ, ubi dicit, & uidetur tenere, q̃ statim, q̃ aliquis peruenit ad usum ratiõis, refert se in suum Deũ, aut peccat mortaliter. Et putat se p̃bare ex S. Tho. sed certè non probat. Secũda propositio, Omnis* talis tenẽt ad actũ aliquẽ statim. Ista p̃positio nõ uidẽt certa, sed est p̃babilis, licet sit cõtra communẽ sentẽtiã Scholasticorũ. & est S. Tho. 1. 2. q. 89. ar. 6. & 2. d. 41. q. 1. ad 7. ubi dicit, q̃ statim q̃ homo usum ratiõis habet, si faciat qđ in se est, Deus ei gratiã infundit, si autẽ nõ, peccat mortaliter, quia tũc tempus est, ut de sua salute cogitet, & ei operam det. Ista propositio probatur ratione S. Tho. ubi suprà, quia omnino est grauissima negligẽtia, q̃ aliqs nõ disponat de ratione uitæ suæ, ex qua dependet salus & damna

13

dānatio eius. & cùm statim oportet aut bene aut malè agere, neque homo posset suas actiones suspendere, uniuersaliter uidetur, quòd statim oportet disponere de summa uitæ, & de agendis: aliâs uidetur grauissima negligentia. Item si quis haberet curā alterius quo ad omnes actiones eius, & depēderet ex eo saluatio, uel perditio illius, uidetur quòd peccaret mortaliter, si non statim prouideret de salute alterius, si statim posset alius periclitari. ergo multo plus obligatur de seipso. Item à posteriori, quia aliâs sequitur, quòd aliquis habēs usum rationis facit totum quod debuit in tota uita sua, & tamen damnabitur. consequens non uidetur credendum, ergo neque id, &c. Consequentia patet manifestè de illo, Qui peruenit ad usum ratiōis, facit totū quod debuit in tota uita sua in peccato originali, qui si nullum actum tenetur habere statim: ergo si se haberet negatiuè, & moriatur, iam patet quòd facit totum, ad quod tenebatur, & tamen damnabitur. & confirmatur, ille ergo seruat omnia mandata, & tamen non saluabitur. ergo non esset uniuersaliter uerum, quod Dominus dicit Matth. 19. Si uis ad uitam ingredi, serua mandata. Item si non tenetur statim, ergo poterit tunc solùm peccare ueniali-ter, & tunc si ille sit in peccato originali, erit

cũ ſolo ueniali & originali, quod uidetur inconueniens, quia nõ puniretur in limbo, quia non habet pœnam ſenſus neque in purgato-
14 rio, quia eſt uia ad glorium: neque in inferno. Tertia Talis* tenetur ſi cõuertere in bonũ eo modo, quo poteſt tunc, id eſt conformiter ad cognitionem quam habet. Iſta probatur ex præcedenti: quia ſi teneretur ad aliquem actũ, non poteſt eſſe incognitũ. ergo oportet quòd ſit conformiter ad cognitionem quam habet. Pro quo eſt conſiderandum, quòd (ut ſuprà tactum eſt) prima deliberatio non poteſt eſſe circa particularem materiam moralẽ, quia nec eſſe eſt intellectum à notioribus procedere. 1. Phy. & ſicut ſimpliciter in cognitione ens eſt prius notum, quàm ſpecies, aut genera: ita in cognitione practica principia uniuerſalia & concluſiones etiam magis uniuerſales, ſunt magis notæ, & oportet intellectum ab illis incipere, ut eſt id pricipium, Oportet uiuere cõformiter ad rectum rationem, expedit homini honeſtè uiuere, nõ eſt faciendainiuria, uel aliquod huiuſmodi, quod poteſt eſſe notum lumine naturali, etiam apud illum, qui educatus eſt ſine notitia, aut religione Dei: aliquod tale principium, ut colendus eſt Deus à me, oportet me ſeruare legem Dei, non licet agere contra præceptum dei, uel aliquid ſimile. Eſt

enim

enim impossibile, ut prima cognitio, uel deliberatio sit de eleemosyna aut de temperantia. Dico ergo, quòd cum primum homo habet tale iudicium sufficienter deliberatum, tenetur habere propositum bene agendi conformiter ad id iudicium: & si cognoscat Deum, tenetur formaliter conuerti in Deum, puta, uolo, aut propono seruare legẽ Dei, uolo colere Deum: si nautem non cognoscat, satis est ut proponat bene uiuere cõformiter ad dictamẽ. ut propono uiuere secundum rationem, uolo honestè agere, nolo male agere. Hoc expressè dicit Sanctus Thoma. de ueritate, quæstio. 14. arti. 11. ad primum. ubi dicit de eo, qui nutritus esset in syluis, quòd si faciat quod in se est, ad prouidentiam Dei spectat subuenire in necessariis, & declarat quid sit facere, quod est in se, dicens, quòd est sequi dictamen legis naturalis cũ appetitu boni, & fuga mali. & quòd hoc sufficit, constat manifestè ex dictis. Neque obstat quod quidã dicũt, quòd si hoc faciat, iam Dominus illuminabit eum de fide. Quid quid enim sit de hoc, de quo statim dicam, sed saltẽ prius est hoc ipsum facere quod in se est, quàm quòd illuminetur, & sic illa illuminatio nõ spectabit ad primum tempus usus rationis. Et confirmatur ista conclusio cum præcedente, nam quilibet tenetur recipere fidem & legẽ Christi,

Christi, cumprimum ei fuerit sufficiẽter promulgata, neque liceret alicui differe in certum tempus, neque satis esset accipere semel in uita, sed tenetur proponere uiuere in lege Christi, & ipsum colere. ergo etiam cumprimum ei est promulgata lex naturalis, tenetur eam recipere, sed non recipit, nisi proposito seruandi illam, & uiuendi conformiter ad legem, ergo tenetur habere tale propositum. Consequentia uidetur nota, quia non minus obligat lex naturalis, quàm Christiana, cùm sit æquè diuina. Promulgatur autem lex naturalis per hoc, quòd aliquis cognoscit, quòd uiuendum est conformiter ad rectam rationem, ut quòd nocendum non est proximo, uel aliquid simile. & confirmatur iterum, quia uidetur impossibile, ut quis deliberet de uita & salute sua, & cognoscat quòd expedit sibi ad bene esse uel felicitatem, ut bene uiuat, & uitet malũ, ut nõ faciat iniuriam, & quòd suspendat actum uoluntatis, & non proponat uel sic uel aliter uiuere. Neque puto, ut quisquam, etiam de industria, hoc possit facere, scilicet suspendere omnem actũ uoluntatis cum tali deliberatione. Prima autem cogitatio, quæ occurrit in primo instanti usus rationis, est, ut cogitet in genere & in uniuersali de salute sua. & S. Tho. dicit 1.2. q. 89. arti. 6. id est de bene esse suæ salutis

tis, uel quod in cõmuni expediat ei. si ergo uidetur impossibile ut non habeat actum, & nõ licet habere actũ auersum à bono, ergo oportet quòd habeat actum conuersum ad bonum. Ex dictis patet corollarium, quòd non solùm apud eum, qui nullo modo cognoscit Deum sufficit talis conuersio ad bonum & sine Deo, sed etiam aliquando apud eum, qui sit bene educatus in religione, & cultu Dei. Patet, quia dato quòd sit institutus in fide, potest fieri prima deliberatio per solum lumen naturale, & conuersio etiam illo modo sufficit. Ad hunc ergo sensum intelligenda est celebrata opinio Sancti Thomæ de cõuersione in Deum in primo instanti usus rationis, qui nihil aliud uult habere, nisi quòd cumprimum quis actu cogitat & deliberat de uita sua, oportet ut habeat propositum ad bonum, siue in uniuersali, siue etiam diuinum conformiter ad cognitionem. Et hoc modo erit probabilis & sententia cõsona rationi. Et hæc est conclusio non solùm theologorum, sed philosophorum etiam sententiis celebrata, de qua nobilem illam fabulã ueteres prodiderunt, de illo nobili Hercule: cũ ille scilicet ad hoc ætatis peruenisset, de quo in præsentia disputamus, & solicitus esset an uiam potiùs sequeretur uirtutis & laboris, an uoluptatis & desidiæ, duas illi matronas subi-

tò

tò astitisse, uirtutẽ scilicet ac uoluptatem, uariisque incitamẽtis & suasionibus utrãque co natam ut ad se animam Herculis traheret, sed uicisse tandem uirtutem, atque Herculem in suam sententiam & contubernium traxisse. Simile est quod S. Tho. uult & docet, ut cùm sci licet primo quis solicitus est, ac deliberat, an potius sequitur bonum, aut malum, uitium, an uirtutem, non se expediat ab eo cõsilio, & deliberatione priusquam constituat ac proponat meliorẽ partem, id est uirtutem, potius sequi. Et ad hoc præceptum conuersionis tenentur non solùm qui ad tale tempus perueniunt sine gratia, sed etiam baptizati, qui gratiam ha bent: præceptis enim non satisfacit, quis per gratiam, aut omnino per aliquẽ habitum, sed per actum. Ad argumentum in contrariũ. Ad primum dico, quòd perueniẽs ad usum rationis ignorabat hoc præceptũ sub illa lege, Cõuertimini ad me, in primo instãti usus rationis, uel alia simili forma. sed cognoscit, quòd oportet seruare, legem Dei uel oportet uiuere secundum rectam rationem, uel huiusmodi iudicium, quia est ista prima deliberatio, & per hoc patet ad prima tria argumẽta. Ad quartũ, concedo, quòd postea non tenetur, quia iam est transgressus illud præceptũ, licet posset dici, quòd per se tenetur quo ad usque impleat.

Ad

Ad quintum nego consequẽtiam. Ad sextum dico, q̃, ut dictum est, est impossibile, uel ualde difficile, ut sic deliberans nõ habeat uel bonum propositum, uel malum, & si habeat malum, iam de eo pœnitet. Si quis enim habet propositum non seruandi legem Dei, pœniteat de illo. Et ista pro præsente Relectione sufficiant.

* * *

FINIS
SECVNDI TOMI

INDEX RERVM ET VERBORVM LOCVPLETISSIMVS TOMI PRIMI.

ABbatissæ, et aliæ monasteriorũ & uirginum matres, quòd nullam habeant potestatem nec iurisdictionem spirituale. numero 4. pag. 142

Apostoli, an æqualem acceperint cum Petro potestatem. 10. 148

Amens, an posit esse dominus. 22. 308

Apostoli domini quam potestatem, & authoritatem habuerint in ecclesia. 7. 19

Apostoli omnes an habuerint potestatè immediatè à Christo, an solus Petrus à Christo, & alij à Petro. 8. 145

Apostoli, quòd non solùm potuerunt relinquere sibi successores, sed etiam quilibet successorum eorum potuerit similiter sibi relinquere successorem. 28. 268

Apostolorum aliorum quilibet à Petro, quòd potuerit relinquere successorem, licet nõ uniuersalem. saltem in quacunq; prouincia uoluisset, qui esset uerus episcopus illius prouinciæ. 27. 267

Apostolis alijs quòd successerit nemo cum æquali potestate & authoritate iurisdictionis. 26. 266

Authoris sentẽtia pro dubio, an princeps secularis possit ponere impedimentum matrimonio. 12. 458

Authoritas perfecta, & propriè spiritualis, quòd tota inceperit ab aduentu Christi, qui fuit primus author, & dator clauium, &

potestatis spiritualis. 8. 61
Authoritas propriè, & perfectè spiritualis (quæ sunt claues regni cælorũ) quòd nunquam fuerit in lege naturæ, nec in lege scripta ante nostri Redemptoris aductum, ostenditur. 5. 58.

B

Barbari, an priusquam aliquid audissent de fide Christi, peccabant peccato infidelitatis, eo quòd non crederent Christo. 32. 332
Barbari, an ad primum fidei Christianæ nuntium teneantur credere, ita quòd peccent mortaliter, non crendentes Christo, solum per simplicem annuntiationem, &c. 34. 337
Barbari insulani quomodo in ditionem Hispanorum uenire potuerunt propter tyrannidem. 15. 368
Barbari Indi, quòd potuerint in Hispanorum ditionem uenisse per ueram, & uoluntariam electionem. 16. 369
Barbari quando tenerentur recipere Christi fidem sub mortalis peccati pœna. 37. 340
Barbari, quòd causa religionis Christianæ propagandæ potuerunt in Hispanorum ditionem uenire. Et quòd Christiani habeant ius prædicandi, & annuntiandi Euangelium in prouincijs barbarorum. 9. 362
Barbari, quòd non sint debellandi, neque eorum bonis priuandi, si permittãt Hispanos liberè, & sine impedimento Euangelium prædicare, siue illi fidem recipiant, siue non. 11. 364
Barbari, quòd in Hispanorũ uenire potuerint ditionẽ: quia cum bona pars eorũ esset ad Christum conuersa, Papa, illis petentibus, aut non petentibus, potuerit ex rationabili causa dare illis Christianum principem, ut est Hispanorum rex, alijs dominis infidelibus repulsis. 14. 367
Barbari, quòd societatis, & amicitiæ titulo potuerunt uenire in ditionem Hispanorum. 17. 370

Barbari, quòd nec propter peccata alia mortalia, nec propter peccatum infidelitatis impediantur quin sint ueri domini tam publicè quàm priuatim. 19. 304

Barbari, quòd amentiæ prætextu non impediantur esse ueri domini, cum non sint amentes. 23.309

Barbari quomodo potuerũt uenire in ditionem Hispanorum ratione naturalis societatis, & communitatis. 1.352

Barbari, quomodo potuerũt in Hispanorum ditionem uenire, eo quòd cum essent conuersi, & Christiani effecti, eorum principes ui, aut metu uolentes eos ab idololatria reuocare, ab Hispanis fuerint protecti, & sub eorum tutelam recepti 13. 366

Barbari rogati, & admoniti, ut audiãt pacificè loquentes de religione, quomodo si nolint, non excusentur à peccato mortali. 36. 339

Barbari si nolint recognoscere dominium aliquod papæ, quòd non ob id possit eis bellum inferri, & illorum bona occupari. 31. 327

Barbari si uellent prohibere Hispanos quominus exercerẽt cũ illis cõmercia, &c. quid esset agendum. 6. 358

Barbari, siue eorum domini, siue ipsa multitudo, impedientes Euangelij promulgationem, quomodo ab Hispanis (absq; tamen scandalo) possint coërceri. Et quid dicendum de his, qui prædicationẽ admittunt, conuersionem tamen aut interficientes uel punientes, siue terrentes ad Christum conuersos impediunt 12. 364

Barbaris an hactenus ita proposita & annuntiata fuerit fides Christiana, ut teneantur credere sub nouo peccato, q. nõ satis liqueat secundum authorẽ. 38. 340

Barbaris et si quantũcunq; fides annũtiata ꝓbabiliter et sufficiẽter fuerit, et noluerint eã recipere, q. non tñ ob idliceat eos bello per

sequi, & bonis suis spoliare. 39.341

Barbaris, q. non liceat prohibere Hispanos à communicatione & participatione illorum, quæ apud eos sunt communia tam ciuibus, quàm hospitibus. 4. 356

Barbaris si simpliciter annuntiaretur & proponeretur, & nollent statim recipere, quòd hac ratione non possent Hispani illis bellum inferre, neque iure belli contra eos agere. 35. 339

Bellum an possit ex utraque parte esse iustum. Ex quo modo secluſa ignorantia hoc non possit contingere. 32. 402

Bellum defensiuum, quòd quilibet possit suscipere, & gerere, etiam priuatus. 3. 384

Bellum gerendi, aut incendendi penes quem sit authoritas. 2. 384

Bellum quando nullum esset iustum. 13. 193

Bellum si satis commodè geri potest non spoliando agricolas, aut alios innocentes, quòd uideatur non licere eos spoliare. Et quid dicendum de peregrinis, et hospitibus qui sunt apud hostes. 40. 401

Bellum ut dicatur iustum, q. nõ semper sit satis principem credere se habere iustam causam. 20. 395

Belli causas examinare qui non teneantur, sed possint fide adhibita maioribus, licitè militare. 25. 398

Belli iusti quæ possit esse ratio, et causa. Et q. iusti belli causa nõ sit diuersitas religionis, probatur. 10. 309

Imperij amplificatio, q. non sit iusta causa belli. 11. 389

Belli iustitia si sit dubia, quid faciendum. Et quomodo si Princeps unus sit in legitima possessione, quòd manente dubio nõ possit alius bello, & armis repetere. 27. 399

Belli iustitia, quòd sit summo pere, & magna cum diligẽtia examinanda. 21. 396

Bello iusto, q. liceat occupare ex

ex bonis hostium impẽsam belli, et omnia dãna ab hostibus iniustè illata. 17. 392
Bello iusto, quòd liceat recuperare omnes res perditas & illarum partem. 16. 392
Bello iusto existente, quòd liceat omnia facere quæ ad defensionem boni publici sunt necessaria. 15. 392

C

Canones, siue regula uniuersalis obseruanda, si ex aliquo pacto, aut stipulatione non statim ab initio oriatur matrimonium. 9. 448
Canones, seu regulæ belli gerandi describũtur. 60. 424
Capta in bello iusto, utrum fiant capientium, & occupantium. Et quomodo capta in iusto bello usque ad sufficiẽtem satisfactionem rerum ablatarum per iniuriã, & etiam impẽsarum fiant occupantiũ. 50. 417
Captiuos aut deditos an liceat interficere, suppositò quòd etiam fuerunt nocentes. 49. 417
Christus an totius orbis fuerit dominus. 15. 88
Christus inquantum homo, q. habuerit potestatẽ remittendi peccata, et quomodo sæpe usus fuerit ea, imò & eam tradiderit Apostolis. Et de remissione peccatorum per claues Ecclesiæ traditas. 4. 31
Christus quòd dono Dei non habuerit dominium temporale, quale est dominium principum. 17. 90
Christus q. non fuerit rex hæreditaria successione. 16. 90
Christi regnum in toto orbe quo titulo fuerit. 18. 92
Christus quando claues dederit Apostolis, uariæ sententiæ recensentur. 9. 64
Christiani an sint aliqui, quibus conuenire non possit potestati ecclesiastica. 1. 39
Christiani omnes, quòd nec sint sacerdotes, nec omnes æquales, sed quòd sit ordo in ecclesia, & gradus ecclesiasticæ potestatis. 1. 135
Christianis quòd liceat militare, & bella gerere. 1. 381
Ciuitas, aut prouincia, de qua dubitatur, an habeat legitimũ possessorẽ, maxi-

mè si est deserta morte legitimi domini, & c. quid in tali casu sit agẽdũ. 28. 400
Ciuitatũ, rerumq; publicarũ fons & origo, q. nõ fuerit inuentũ hominũ, sed tãquã à natura profectum. 5. 181
Claues ecclesiæ, q. solæ sufficiant ad salutẽ, & ad aperiendum regnũ cælorum, ubi nulla alia uia esset apertum. 7. 38
Claues regni cælorum, potestas remittendi peccata, & excommunicandi, consecrandi & c. quòd sint in ecclesia. 6. 19
Clericorum aliqua exemptio à potestate seculari, quòd sit de iure diuino. 3. 100
Clericorũ exemptio, maximè quo ad personas, ita q. nec iudicari, nec puniri à seculari potestate possint, q. sit multum conformis iuri diuino, & naturali. 6. 104
Clericorũ exemptio siue sit de iure diuino, siue non, q. tamen non possit à principe seculari huiusmodi libertas, uel exemptio tolli. 7. 105
Clericorum libertas si esset in manifestam Reipub. perniciem, & pontifices nollent remedium adhibere, quid agendum. 8. 106
Clericorum personæ, quòd non omnino, & quoad omnia sint exemptæ à potestate ciuili, nec iure diuino, nec humano. 4. 102
Clericorum, quòd non omnis exemptio sit de iure diuino. 2. 97
Concilij facta determinatione, quòd nunquam in aliqua lege ecclesiastica dispensetur, an liceret nunquam Papæ dispensare in tali lege, & utrũ dispensando ex quacunq; causa, peccaret mortaliter. 12. 248
Concilium quæ maximè debeat cauere, si quando decretũ aliquod esset faciendum, ut Papæ authoritas illibata conseruetur. 25. 279
Concilium, quando, et in quo casu posset conuocari, & congregari contra uoluntatem Papæ. 24. 278

Concilium quando, & in quo casu posset declarare, & determinare, & etiam statuere, ut in aliqua lege ecclesiastica nunquam dispensaretur. 10. 247

Concilium quòd uidetur non posse errare in determinatione, quòd in aliqua lege ecclesiastica nunquam dispensetur. 11. 248

Concilium, si declarat aliquid esse de fide, aut de iure diuino, quòd Papa in hoc nihil possit declarare, aut immutare, maximè si tale ius spectet ad fidem, uel ad mores ecclesiæ uniuersalis. 2. 228

Condemnatione facta etiam post mortem hæretici, q; retro agatur confiscatio ad tempus commissi crimi nis, ad quamcunq; peruenerit potestatem. 12. 302

Consensus inter uirum & fœminam, an sit de ratione matrimonij. 4. 431

Contritio quid importet. 8. 40

D

Decretum si fieret à concilio quòd in aliquibus legibus ecclesiasticis nunquam dispẽsaretur, quòd tale decretum non deberet apponi in multis legibus, sed solum in paucis, hisq; grauissimis, & ualde necessarijs. 13. 260

Decreto facto per consilium, quòd in aliqua lege ecclesiastica nunquam dispensetur. Si illo non obstante, Papa dispensaret, utrum teneret factum, esto quòd malè faceret. 14. 260

Deus quomodo uniuersalis ecclesiæ duas instituerit dignitates. 21. 21.

Dolor qualis sufficiat ad remissionem peccatorum cũ clauibus. 10. 43

Dolor quando non dicatur contritio. 9. 41

Dominium utrum perdatur ratione infidelitatis. 7. 299

Dominij ut quis sit capax, an usus rationis requiratur. 20. 305

Dubitans de iure suo, etiam si pacificè possideat, quomodo examinare teneatur dili

diligenter causam, si forte possit certum scire uel pro se, uel pro alio. 29. 401

Dubius in rebus, quo post consultationem rei dubiæ debeat sequi id, quod definitum fuerit à sapientibus esse illicitum, etiam si aliàs esset licitum. 2. 292

Dubius in rebus, si post consultationem rei dubiæ definiatur à sapientibus illud esse licitum, quod aliàs est illicitum, ut sit tutus in conscientia an debeat sequi sententiam illorum. 3. 292

Dubius in rebus ut sit tutus in conscientia, quomodo debeat consultare illos, ad quos spectat hæc docere. 1. 291

Ducere relictam fratris sine liberis defuncti, ut in causa regum Anglorum contingit, quòd nunquam fuerit prohibitum iure diuino legis ueteris. 7. 482

Ducere uxorem fratris defuncti, quòd non sit prohibitum lege naturæ. 6. 479

Deus quòd ea sapientia, qua constituit in naturalibus, ut inferiora regerentur à superioribus, eadem etiam prouidit, ut in ecclesia sua ordo rerum esset circa dignitates, & officia. 13. 24

E

Ecclesia ex quibus constet. 5. 121.

Ecclesiæ quòd insit aliqua potestas, & authoritas temporalis in toto orbe. 11. 81

Ecclesiastici, quòd iure sint exempti, & liberi à potestate ciuili, &c. 97

Ecclesia sicut aliquas personas sua authoritate reddit illegitimas ad contrahendum, an princeps hoc possit facere. 11. 454

Ecclesia utrum præter ciuilem, & laicam potestatem necessario habeat etiam aliam spiritualem. 3. 17

Ecclesiasticæ personæ, dato quòd non essent exemptæ iure Diuino, aut Cæsareo, quòd summus Pontifex potuit eas eximere à potestate ciuili. 5. 103

Electio summi Pontificis desiderantibus cardinalibus, &c. quòd

quòd non uideatur spectare ad totum clerũ. 20.162
Electio summi Pontificis ad quem spectaret cardinalibus deficientibus, negligentibus, aut pernicioſè inter ſe diſſidẽtibus. 19.161
Eligendi ſummum Põtificem ratio, quæ nunc ſeruatur in eccleſia, quòd non ſit de iure diuino. 24.265
Eligendi ſummum Põtificem ratio, quòd ſit ex conſtitutione, & authoritate ecclesiæ, aut ſummorum Pontificum, quæ eadem eſt, & eadem authoritate mutari poſſet. 25.266
Epiſcopus quilibet, quòd in ſua prouincia potuit condere legem, ut preſbyteri eligerent epiſcopum, uel aliam formam inſtitutionis dare, etiam ſede Petri inconſulta. 29.270
Error duplex eorum, qui dicunt uirtute clauium non uere remitti peccata, ſed ſolùm oſtendi remiſſa. 5.36
Error quorundam recenſetur, qui dicebant, nullum in peccato mortali exiſtentem habere dominium in quacunque re. 5.297
Examinata cauſa, quòd quãdiu rationabiliter perſeuerat dubium, legitimus poſſeſſor non teneatur cedere poſſeſſioni, ſed quòd poſſit licitè retinere, oſtenditur. 3.401

F

Frater, quòd ſecluſo iure humano, ſine quacunque Papæ diſpenſatione poſſet accipere uxorem fratris ſiue cum liberis, ſiue ſine liberis defuncti. 8.484

G

Gradus eccleſiæ, quòd perſeueraturi ſint in eccleſia uſque ad ultimum iudicium, & mortuorum reſurrectionem. 15.154
Gradus in Leuitico prohibiti, quòd non omnes iure naturali ſint prohibiti, oſtenditur. 5.471
Gradus omnes, qui Leuit. 18. & 20. prohibẽtur, an ſint iure naturali prohibiti. 1.464

H

Hæretici uenditiones, donationes

tiones,& omnis alia alienatio bonorum,quòd à die commissi criminis sint inualidæ,&c.13.302
Hæreticus an de iure humano perdat dominium bonorum suorum.9.301
Hæreticus in quo casu etiam titulo oneroso posset bona sua licitè alienare. 18. 304
Hæreticus, quòd à die commissi criminis incurrat confiscationem bonorum. 10.302
Hæreticus, quòd iure diuino non amittat dominium bonorum suorum ob hæresim commissam. 8.301
Hæreticus, quòd sit dominus bonorum suorum in fòro conscientiæ antequam cõdemnetur.14.303
Hæreticus, quòd titulo gratioso potest transferre bona sua, puta donando. 16. 304
Hæretico,quòd non liceat titulo oneroso, puta uendendo, aut dando in dotem, bona sua transferre, si crimen posset uenire in iudicium.17.304
Hæreticorum bona, quòd non liceat fisco occupare ante condemnationem, quamuis de crimine constet.11.302
Hæreticus,quòd licitè potest uiuere ex bonis suis.15.304
Hominis miseria recensetur. Et quid faciendum oportuit, ut illius necessitatibus consuleretur.4.178
Hispani, quando, & in quo casu possent sæuire in barbaros tanquam in perfidos hostes, & in illos omnia belli iura prosequi, eos spoliare, imò & in captiuitatem redigere, quin etiam & dominos priores deponere, & nouos constituere.8.360
Hispani quòd potuissent barbaros redigere sub eorum ditionem, si certò constaret eos esse amentes.18.371
Hispani, quòd habeant ius peregrinandi ad Indorum barbarorum prouincias, & illic degendi, sine tamen eorum nocumento aliquo,nec possunt ab illis prob

prohiberi.2.352
Hispani si omnibus modestissime tentatis, non possunt consequi securitatem cum barbaris insulanis, nisi ciuitates occupãdo, & subijciendo illos, an hoc facere licitè possint.7.360
Hispanis, quòd liceat apud Indos barbaros negotiari, sine patriæ tamen incommodo, importãdo merces, quibus illi carent, &c. & offerendo inde aurum, & argentum, uel alia quibus abundant. nec illorũ Principes possunt impediměto esse quominus subditi exerceant cõmercia inter Hispanos, &c.3.355
Hostes multare parte agri, quòd liceat ratione iniuriæ illatæ, & nomine pœnæ, hoc est ad uindictã. Et quomodo hac etiã ratione potest arx, aut oppidum cum moderamine occupari.56.421
Hostes si nolint restituere res iniuria ablatas, & nõ possit, qui est læsus, aliunde recuperare, quomodo possit undecunq; satisfactionem capere, siue à nocentibus, siue ab innocentibus.41.411

I

Ignorantia ad hoc quòd alicui imputetur, & sit peccatũ, uel uincibilis, quid requiratur. Et quid de ignorantia inuincibili.33.336
Imperator, quòd non sit totius orbis dominus.25.313
Indi barbari, utrum essent ueri domini ante aduentum Hispanorum priuatim, & publicè. Et utrum essent inter eos aliqui uiri principes, & domini aliorum.4.294
Innocentes, à quibus in futurum imminet periculum, an liceat interficere. 38. 409
Innocentes, & pueri esto quòd non sint interficiendi, an saltem liceat ducere illos in captiuitatem, & seruitutem.42.412
Innocẽtes interficere in bello, an liceat.34.406
Innocentes interficere, quòd nunquam per se & ex intent

intentione liceat. 35. 406
Interficere an liceat omnes in bello nocentes. 44. 413
Interficere innocentes per accidens, etiam scienter, quòd aliquando liceat, & aliquando non. 37. 408
Interficere an liceat infantes & fœminas in bello contra Turcas. Et quid dicendũ de agricolis apud Christianos, togatis, peregrinis, hospitibus, & clericis. 36. 407
Interficere quòd aliquando & liceat & expediat oẽs nocentes, & hoc maximè in bello contra infideles. Et quid in bello contra Christianos. 48. 416
Interficere quòd liceat indifferenter omnes, qui in actuali conflictu prælij, uel in oppugnatiõe, aut defensione ciuitatis contrà pugnant, & quandiu res est in periculo. 45. 414
Interficere quòd non semper liceat omnes nocentes solùm ad uindicandum iniuriam. 47. 415
Interficere quòd liceat nocentes, parta uictoria, & rebus iam extra periculum positis. 46. 414
Iniuria accepta, quòd sit unica & sola causa iusta ad inferendum bellum. 13. 390
Iniuria quælibet, & quantauis, quòd non sufficiat ad bellum inferendum. 14. 391
Iure diuino quòd nullus alius de numero Christianorum præter fœminas excluditur à potestate ecclesiastica, siue ordinis siue iurisdictionis. 6. 144
Inuasus à latrone, aut inimico, an possit repercutere inuasorem, si possit fugiendo euadere. 4. 384
Ius conueniendi an satis sit ad matrimonij essentiam. 3. 430

L

Lex aliqua etiam positiua, quòd posset esse in ecclesia, & fortè aliquæ tales sunt, in quibus expediret, ut nunquam dispensaretur. 9. 244
Lex diuina quòd sicut habet uim obligandi ad culpam, ita & lex humana. 17. 200

Lex humana & diuina in quo differant, & in quo etiam conueniant. 16. 198
Legis ratione cessante, an cesset obligatio. 22. 208
Leges ciuiles an obligent legislatores, & maximè reges. 21. 206
Leges humanæ quando obligent ad mortale, & quando ad ueniale, qualiter dignosci poterit. 19. 203
Legum humanarum transgressores, ad quam culpā obligentur, ad mortalē, an ad uenialem solum. 18. 202
Libertas, quòd non sit minor in regali principatu, quā in aristocratico, & democratico. 11. 191
Liberi, si apud Indos nascantur ex parentibus Hispanis illic domicilium habentibus, et uelint esse ciues, q, non possint arceri uel à ciuitate, uel à cōmodo aliorū ciuium, ostēditur. 5. 357

M

Matrimonij consensus qualis sit, inquiritur. 8. 444
Matrimonij uinculum, quomodo ex lege naturali aut diuina non contrahatur, nisi coniugum ipsorum consensu, licet Deus sine dubio, nullo consensu uiri & fœminæ interposito, constituere possit. 6. 435
Matrimonium, quòd nulla authoritate humana possit constitui, nisi consensu contrahentium, probatur. 7. 440
Matrimonium quantum ad sui essentiam quid sit. 5. 434
Matrimonium quid sit. 1. 428
Matrimonij quotuplex finis. 2. 429
Matrimonium si quis deceptus contrahat, an teneat. 19. 452
Militibus, an liceat ciuitatem permittere in prædam. Et quomodo non sit illicitum, sed & necessarium. 52. 419
Militibus, quòd non liceat prædas agere, aut incendia facere sine authoritate, aliàs tenerentur ad restitutionem. 53. 420
Mobilia omnia quomodo iure gētium fiant occupantis

tis, etiam si excedant compensationem damnorum. 51.143

Monachæ an non teneantur obedire Abbatissæ. 5.143

Monarchia, siue regia potestas, quòd non solùm iusta sit, & legitima, sed quòd reges etiam à iure diuino & naturali habeant potestatem, & non ab ipsa republica, aut prorsus ab hominibus. 8.186

Mulieres, quòd nec sacerdotes esse possint, nec aliquē ordinem aut potestatem ecclesiasticam habere, quæ sit de iure diuino. 3.140

O

Obsides, qui uel tempore induciarum, uel peracto bello ab hostibus recipiuntur, utrum interfici possint, si hostes fidem frangerent, & conuentis non starent. 43.413

Occupare quòd liceat ab hostibus, & tenere arcem aliquam, aut ciuitatem pro paranda securitate, & uitando periculo, aut pro defensione, & ut tollatur ab hostibus occasio nocendi, &c. 55.420

Occupare quòd liceat, & tenere agrum, arces, & oppida hostium quantū necessarium fuerit ad damnorum illatorum compensationem. 54.420

P

Papa an & quando esset audiendus rege contradicente, & quando non, in his quæ ad aliquam legem ciuilem, aut administrationem tēporalem attinent. 14.86

Papa, an sit orbis Dominus. 2.68

Papa in quo genere decretorum aut canonum nihil possit immutare dispensando, & multo minus abrogando. 1.216

Papæ mandatum, aut dispensatio, quòd nō semper obliget subditos ad parendum. 18.166

Papæ mandatis, an liceat resistere per appellationem ad futurū concilium. 21.272

Papa non obstante decreto irritante

irritante concilij, quòd posset dispensare in statutis eius.5.236

Papa quid possit, aut quid non possit, &c. quòd non spectet ad subditos illud determinare,ut examinare,probatur.17.265.

Papa, quòd nullam potestatem temporalem habeat in barbaros Indos, neque in alios infideles.30.327

Papa quòd non sit dominus ciuilis,aut temporalis totius orbis, loquendo propriè de dominio, & potestate ciuili.27.322.

Papæ,quod non liceat dispensare in legibus,& decretis conciliorum pro suo arbitrio, & sine causa rationabili,etiam ubi nihil continent iuris diuini.7.239

Papa,quòd potuerit negotiũ cõuersionis Indorum barbarorũ solis Hispanis demandare,& omnibus alijs nõ solùm prædicationem, sed etiam commercium interdicere.10.363

Papa, quòd non habeat potestatem deponendi principem secularem,etiam ex iusta causa ratione authoritatis temporalis.6.76

Papa,quòd non habeat confirmare, nec possit infirmare leges ciuiles.7.76

Papa, quòd habeat potestatem temporalem in ordine ad spiritualia.29.324

Papa, quòd possit dispensare in legibus,& statutis concilij generalis.2.930

Papa, quòd in ordine ad finem spiritualem habeat amplissimam potestatem temporalem supra omnes principes,& reges, & imperatorem.12.82

Papa, quòd non habeat iudicare, saltem uia ordinaria, de causis principum, aut regnorum titulis, nec possit ad eum ppellaari in causis ciuilibus.5.74

Papa, quòd dispensando in legibus, & decretis, tam conciliorũ,quàm aliorum pontificum,possit errare, & grauiter peccare.6.239

Papa,quòd multo minus potest abrogare sine causa rationabili decreta cõcilij,

quàm

quàm in eis dispensare.8.242

Papa quòd non deberet ægre ferre, sed potius gaudere, quòd fieret aliquod decretum à concilio, quo caueretur, ut in aliqua lege ecclesiastica nunquam dispensaretur.20.271

Papa sicut peccaret dispensans cõtra decretum concilij, quòd ita etiam peccaret petẽs dispensationem, & utens illa, ostenditur. 15.262

Papa si dispensaret, in quo casu subditi non tenerentur parere dispensationi. 19.270

Papa si facta declaratione, & decreto à concilio, contrarium mandaret, quid agendum.23.275

Personæ aliquæ ex hoc, quòd in Leuitico sint prohibitæ contrahere, quòd non sit argumentum illas tempore legis euãgelicæ iure diuino esse prohibitas.3.467

Personæ aliquæ ex hoc, quòd iure diuino prohibeantur contrahere, quòd nõ sufficienter probetur si cõtrahant, matrimonium esse nullum & irritum.2.465

Personæ quæ sint prohibitæ à matrimonio iure diuino, quòd terminari non possit nisi ratione naturali, hoc est, ex morali philosophia, & propositionibus cognitis ex lumine naturali.4.470

Peccatum mortale, quòd non impediat dominium ciuile, & uerum dominium. 6.298.

Petrus, quòd inter Apostolos omnes fuerit authoritate, & potestate primus & princeps, cum summa supra totam ecclesiam potestate.11.150

Petrus beatus, quòd potuerit eligere, & designare successorem, qui, eo defuncto, sine alia electione esset summus Pontifex.23.264

Petrus beatus, quòd uel solus, uel cum alijs Apostolis potuerit constituere formam, & rationem, qua post obitum eligeretur ei successor.22.263

Petri

Petri successores, quòd potuerunt, & possunt pro suo arbitrio episcopos creare in singulis prouincijs, & quascunq; leges de hac re prius latas tollere, & nouas condere, prouincias distinguere, & omnia ad hoc spectantia pro suo iudicio, & potestate facere 30. 270

Petro Apostolorum principe defuncto, quòd aliquis ei successerit cum simili & authoritate, & potestate iurisdictionis in totum orbem. 17. 158

Petro mortuo, quòd ecclesia habeat potestatem subrogandi, & instituendi alium loco illius, etiam si Petrus nihil de hoc prius constituisset. 18. 160

Pontificis dispẽsationes, quòd sint in duplici differentia, & quæ sint. 16. 264

Pontificis mandatis resistere & non parere, quòd non uideatur permittendũ cuicunque priuato sua authoritate, etiam si huius modi mãdata eßẽt contra determinationem cõcilij. 22. 276

Potestas ad quid constituatur in republica. 4. 18

Potestas aliqua spiritualis q, potuerit esse in statu inno centiæ. 1. 53

Potestatis ciuilis & ecclesiasticæ differentia. 2. 48

Potestas ciuilis, quòd aliquo modo subiecta sit, non potestati temporali summi pontificis. sed potestati spirituali. 10. 78

Potestas ciuilis, quòd non sit subiecta potestati temporali Papæ tanquam domino temporali. 4. 73

Potestas ecclesiastica, an sit per se in tota ecclesia. 1. 108

Potestas ecclesiastica, & spiritualis tota, quæ nunc residet in ecclesia, quòd sit de iure diuino positiuo mediatè uel immediatè. 4. 50

Potestas ecclesiastica, quòd immediatè sit in concilio, & etiam ratio totius. Et multa de potestate cõcilij. 6. 122

Potestas ecclesiastica, quòd sit duplex. Et de earum effectib

fectibus. Et quomodo non nulli hæreticorũ ab utraq; claue tollunt omnem effectum merè spirituale. 2.18

Potestas ecclesiastica, quòd quantum ad aliquam potestatem sui habuerit ortũ à iure naturali, uel positiuo. 3.48

Potestas ecclesiastica, quòd sit uerè & simpliciter causa alicuius effectus spiritualis. 1.28

Potestas ecclesiastica quòd non solùm fuerit in Apostolis, sed etiam in alijs. 13.153

Potestas ecclesiastica quo iure sit introducta. 1.47

Potestas ecclesiastica siue ordinis, siue iurisdictionis, quòd tota fuerit in Petro Apostolo. 7.145

Potestas ecclesiastica, siue spiritualis quomodo possit esse in tota ecclesia, ostenditur. 2.110

Potestas gubernandi quòd scientiam exigat. 9.29

Potestas merè temporalis, quòd nulla sit in papa, uidelicet quæ ad finem ordinetur temporalem. 8.76

Potestas omnis ordinis & iurisdictionis, quæ prius erat in Christi Apostolis, quòd illis defunctis perseueraue rit in ecclesia, probatur. 14.154

Potestas omnis seu publica, seu priuata qua respublica secularis administratur, quòd non solum iusta & legitima sit, sed ita Deũ actorem habeat, ut nec orbis totius consensu tolli, aut abrogari possit, ostenditur. 1.175

Potestas omnis spiritualis quæ fuit in lege naturæ, licet potuerit esse solùm authoritate humana, quòd tamen ueri simile sit uel quòd ex speciali reuelatione diuina, uel instinctu & motione diuina fuerit constituta authoritas aliqua, & potestas spiritualis, & aliqua sacrificia & sacramenta, & aliæ cæremoniæ spectantes ad cultum diuinum, & ad salutem spiritualem animarum. 3.56

Potestas ordinis in ecclesia, quòd tota deriuata sit, & pend

pendeat immediatè ab epi scopis. 16. 155

Potestas, quòd sit duplex, publica, & priuata. 2. 175

Potestas regia quamuis contineat omnem potestatem ciuilem, q, tamen non habeat authoritatẽ ad cultũ diuinum, & actiones spiri tuales, ostenditur. 10. 20

Potestas spiritualis, quæ fuit in ueteri testamento, quòd tota expirauerit, & antiquata fuerit in lege euangelica, nec ampliùs perseuerauerit. Et quòd sacerdotes noui testamẽti non sint successores illorũ, sed omni no sit noua potestas. 7. 61

Potestas spiritualis, quòd statim post peccatum fuerit in lege naturæ. 2. 55

Potestas spiritualis, quòd sit præstantior, & eminẽtior, potestate temporali, ostenditur. 1. 67

Potestas spiritualis, quòd fuerit aliqua in lege scripta, probatur. 4. 57

Potestas spiritualis tota, quæ fuit in ueteri lege, quomodo primo & solum in tribu leuitica fuerit. 3. 110

Potestas spiritualis tota, quæ fuit in ueteri lege, quòd fuerit de iure diuino positiuo. 5. 50

Potestas temporalis, & ciuilis, quòd sit integra apud paganos. 8. 19

Potestas temporalis in summo pontifice, qualiter intelligatur. 13. 83

Potestas temporalis, quòd non dependeat à spirituali omnino eo modo, quo ars, siue facultas inferior dependet à superiori. 9. 77

Potestas temporalis quòd nõ dependeat à summo pontifice, sicut aliæ potestates spirituales inferiores, &c. 3. 71

Potestas uere, & propriè spiritualis, qualis nunc est in ecclesia, quæ uocatur potestas ecclesiastica, quòd nec primo, nec per se, imò nullo modo sit immediatè in tota ecclesia uniuersali eo modo, quo potestas ciuilis est in republica. 4. 113

Potestas utraq;, ordinis scilicet, & iurisdictionis, quòd habeat uerũ effectum spiri

tualem, probatur. 3. 30
Potestatis ciuilis causa efficiens quæ. 6. 182
Potestatis ciuilis finis quis sit. 3. 178
Potestatis publicæ secularis tres causæ explicantur. 10. 190
Potestatis spiritualis testimonia ex scripturis recensentur. 12. 22
Potestatem ecclesiasticam aliquam, quòd nullus alius à Christo uideatur accepisse præter sacros Apostolos. 12. 152
Potestatem omnem, quam Apostoli habuerunt, quòd receperint immediatè à Christo, probatur. 9. 147
Potestatem totam in ueteri lege iure diuino institutã, quòd potuerit Israëliticus populus sua authoritate instituere, etiam si à Deo instituta non fuisset. 6. 62
Potestates qui potius appellentur, ab authore recensentur. 2. 17
Potestates, quibus infidelium respublicæ gubernantur, an sint legitimæ. Vel, an inter paganos sint legitimi principes, & magistratus. 9. 190
Præcepta parentum, quòd eodemmodo obligent, sicut leges ciuiles. Et idem de præceptis meritorum in uxores. 24. 209
Prætores, & magistratus omnes citra Principem, q. grauiter errent, & peccent, iudicia exercentes cõtra priuilegia clericorũ quãuis pernicioſorũ. 9. 106
Princeps iusti belli recuperatis rebus ab hostibus, quid ulterius possit facere. 18. 393
Princeps, quòd eãdem authoritatem habeat ad indicendum & inferendũ bellum, sicut respublica. 6. 387
Princeps, siue subditus, qui ex ignorantia sequutus est bellum iniustum, si postea constiterit ei de iniustitia belli, an teneatur restituere. 33. 404
Principis gloria propria, aut aliud cõmodum, quòd non sit belli iusta causa. 12. 390

Principi iusti belli, quòd liceat parta uictoria, recuperatis rebus, ac pace etiã & securitate habita, uindicare iniuriam ab hostibus acceptã, et animaduertere in hostes, & punire illos p iniurijs illatis. 19. 394

Principes Christiani, quòd non possint, etiã authoritate Papæ, coërcere Barbaros à peccatis contra legem naturæ, nec ratione illorum eos punire. 40. 344

Principes hostium an liceat deponere, & nouos ponere & constituere, uel sibi principatum restituere. Et quomodo non passim, et ex quacunq; causa belli iusti hoc liceat facere. 58. 422

Principes hostium quando legitimè possent deponi, ostenditur. 59. 423

Principum leges, & constitutiones quomodo obligẽt in foro conscientiæ. Et quid de præceptis parentum in filios, & maritorum in uxores. 15. 196

Puer an possit esse dominus ante usum rationis. 21. 307

R

Reguli, siue Principes, qui non præsunt reipub. perfectè, sed sunt partes alterius reipub. quòd non possint bellum inferre, aut gerere. Et quid dicendum de ciuitatibus. 9. 388

Remedia duo efficacia ad remissionem peccatorum à Deo in ecclesia relicta. 6. 37

Respublica quælibet, quòd habeat authoritatem indicendi, & inferendi bellum. 5. 386

Respublica quid est & quis propriè dicatur Princeps. 7. 387

Respublica, quòd tota possit puniri licitè pro peccato regis. 12. 192

Respublica unde habeat potestatem ciuilem. Et de causa materiali eiusdem potestatis. Et penes quem iure naturali & diuino resideat. 7. 183

Reipublicæ sicut maior pars regem supra totam Rempublic. constituere potest, alijs inuitis: quòd ita pars

maior Christianorum, reliquis etiam renitentibus monarcham unum creare iure posit, cui omnes principes & prouinciæ parere teneantur. 14. 193

Respublicæ, aut principes plures, si habeant unum communem dominum, aut principem, an possint per se inferre bellum sine authoritate superioris principis. 8. 388

Rex si uellet non obligare ad culpam, an posset. 20. 206

S

Sacerdotes ueteris legis, an haberent potestatem ferendi leges, & præcepta faciendi obligantia in foro animæ. 6. 59

Sedes Apostolica in quocunque casu uacaret manẽdo in solo iure diuino, ad quẽ spectaret electio. 21. 262

Senatores reguli, & uniuersaliter omnes qui admittuntur, uel uocati, uel etiã ultro uenientes ad consilium publicum, uel regis, quòd teneãtur iniusti belli causam examinare. 24. 397

Spoliare an liceat innocentes inter hostes. Et quibus rebus sint spoliãdi. 39. 410

Subditi si habeant conscientiam de iniustitia belli, & non liceat illis sequi bellum, siue errent, siue non. 23. 397

Subditi, an teneantur examinare causam belli. Et quo modo si subdito constet de iniustitia belli, non liceat ei militare, etiam si Princeps impediret. 22. 396

Subditis quòd non solum liceat in bello defensiuo in re dubia sequi principem suum in bellum, sed etiam in bello offensiuo. 31. 402

Subditos militantes quando non excusaret ignorantia de iustitia belli. 26. 398

Summus Pontifex, dato quòd haberet potestatem secularem in mundo, quòd nõ posset eam dare principibus secularibus. 28. 324

Summus pontifex, quòd non solum possit dispensare in statutis conciliorum, sed in totum, & aliquando abrogare talem legem, uel

ſtatutum. 4.293

T

Tributa an liceat uictis hoſtibus imponere. 57.422

Tyrannorum leges an obligent. 23.290

V

Vitæ quòd ſint duæ, una terrena, altera ſpiritualis. Et quomodo humana ſocietas non poſſit ſine utraq; manere. 5.18

INDEX TOMI SECVNDI.

*

A

ABſtinere perpetuò à certo genere alimentorum, etiam in extrema neceſsitate, utrum ſit laudabile Cartuſienſi, quòd etiã ſecluſo ſcandalo non uideatur illicitum in extrema neceſsitate abſtinere à carnibus. 8.85

Accipere aliquid pro ſepultura, an ſit licitum, & quando. 10.235

Accipiens aliquid temporale ratione contractus ſimoniaci, an teneatur reſtituere quicquid ſimoniacè accepit. 1.221

Actus intenſior, quòd non augeat habitum per totã ſuam latitudinem, ſed ſolum ſecundum exceſſum quem habet ſupra habitũ, probatur. 3.8.

Actus intenſior habitu, an augeat habitum ſecundum ſuam totam latitudinem, an ſolùm ſecundum exceſſum, quem habebat ſupra habitum. 2.7

Actus quilibet meritorius, quòd augeat gratiam ſecundum totam ſuam latitudinem, & non ſolum ſecundum exceſſum ſupra habitum. 4.15

Agentia plura, quòd nunquã producant maius lumen, uel calorem in primo puncto ſuæ ſphæræ, uel actiuitatis, quàm produceret unum illorum, quòd

maximum est. 9.22
Alimentis insalubribus & nocuis uitam reddere breuiorem, quòd non liceat, neque tamen uti tenetur optimis. 34.148
Animam ponere pro amicis licet sit stultitia huius mũdi, quòd tamen sit sapientia apud Deum. 27.143
An licitũ sit dare aliquid tẽporale pro spirituali. 1.157
Animæ defunctorũ, maximè quæ sunt è numero damnatorum, an se misceant artibus & operibus magicis. 17.286
Appetitus sensitiuus, quòd possit esse causa priuationis usus rationis. 12.337
Appetitus sensitiuus, quòd possit esse causa priuationis usus rationis. 12.339
Auxiliari quòd liceat amico etiam cum quantocunque uitæ discrimine. Et quid dicendũ de uxore, quæ etiam cum magno periculo mariti peste laboranti adsideret. 31.145

B

Beneficiũ adeptus, qui quidem non dederat pecuniã episcopo, sed alius pro eo, ipso ignorante, an teneatur restituere. 8.233
Beneficium habens, cui per aliquod tempus ministrauit, quòd licitè possit authoritate papæ concedere beneficio, retenta certa pensione super beneficium & sine quocunq; onerali officio spirituali. 49.215
Beneficium si quis contulit, aut permutauit pro pensione, etiam authoritate apostolica, an talis pensio possit uendi, aut pecunia redimi, dubitatur. 53.218
Beneficium si quis conferat cõsanguineo aliàs idoneo, quantumcunque motus à consanguinitate, quòd nõ peccet mortaliter. 28.192
Beneficium simoniacè acquisitum, an sit restitutioni obnoxium de iure diuino. 5.228
Beneficia conferre propter preces principaliter, an sit simonia. 30.193
Brutus, Cato, Decius & alij innum

innumeri, qui sibi mortem consciuerunt, utrum excusationem habebunt, eo quòd putabant in hoc se fortiter & laudabiliter agere. Et quid de Samsone, Rasia, & Saule. 37.150

C

Carnium usus, utrum ante diluuiũ esset concessus. 3.64

Carnibus humanis an uesci liceat. 5.70

Carnibus uesci humanis, an in extrema necessitate liceat. 6.75

Cartusienſi an liceret in casu necessitatis extremæ carnes comedere. 10.92

Charitas an augeatur per quemlibet charitatis actũ. Et quomodo de hoc tres opiniones recitantur. 1.5

Charitatis per quemlibet actum quantumuis remissum, quòd mereatur quis, & habebit maiorem gloriam. 11.28

Charitas, quòd non augeatur per totã latitudinẽ actus, sed solùm secundum excessum actus supra habitum. 5.15

Charitas, quòd nunquam sit æqualis gratiæ, saltem in adulto. 6.15

Charitas quomodo dupliciter diminuatur. Vno modo per peccatum ueniale, alio modo per mortale. 20.41

Charitas, uel gratia, an per peccatum ueniale diminuatur. 21.41

Charitas per quemlibet actum quantumuis remissum, quòd augeatur gratia. 12.30

Charitas, si per actum remissum non augetur charitas statim, quòd uoluntarium uideatur dicere, quòd augeatur in fine uitæ. 13.31

Cibi, aut alimenti nullum genus fuisse, aut esse prohibitum homini iure naturali, ostenditur. 2.55

Clerico utrum liceat suas locare operas in administratione spiritualium. 19.240

Collatio spiritualis ratione consanguinitatis an sit simonia, 26.191

Commendæ, quòd pro beneficio commutari non pos-

sint, etiam ex authoritate Papæ. 46. 212
Condimentis, & artificio, an liceat uti ad edendum cibos suauiores. 4. 70
Conferre beneficium intuitu consanguinitatis, quòd nõ sit simoniacum. 27. 192
Conferre spiritualia ad captandum quodcunq; commodum non spirituale, siue digno, siue indigno, quòd sit illicitum. 31. 195
Conferre spiritualia ad captandum quodcunq; commodũ non spirituale, quomodo ignorat author an hoc sit mortale. si aliàs collatio fiat digno. 32. 196
Conferre spiritualia ad captandum quodcunq; commodum non spirituale, quomodo si fiat digno, nõ putat hoc peccatum esse propriè simoniam author. 33. 196
Contractus aliquis, qui non nunc est simoniacus, an sit uel possit iure positiuo fieri simoniacus. 13. 174
Contrahentes cum Papa, an sint simoniaci, aut incurrant pœnam iuris. 4. 234

D

Dæmon malus, an sit operum magicorum author, uel an referenda sint potius in bonos angelos, uel in ipsum Deum omnipotentem. Et an omnino sint dæmones. 10. 269
Dæmon superior, an & quomodo possit inferiorem dæmonem tenere alligatum annulo, aut imagini. 31. 306
Dæmones quòd angelis cogi possint, & aliquando cogantur. 22. 296
Dæmones esse, quòd etiam stando in recta, et legitima Philosophia, nullo modo sit negandum. 11. 271
Dæmones, et magi, quòd uirtute dæmonũ possint mouere, & transferre corpora de loco ad locum. 33. 308
Dæmones, et magi, quòd uirtute dæmonis non possint immediatè imprimere in rebus naturalibus, & materialibus aliquã formam, ut calorẽ, frigus, morbum. aut sanitatem. 35. 312

Dæmones, quòd cogi poßint aliquando, et cogantur ab hominibus. 21.296

Dæmones ſuperiores, quòd poßint cogere inferiores. 30.304

Dæmones ſuperiores, an habeãt aliquam poteſtatem in inferiores. 29.303

Dæmones ut uirtute diuina coërceantur, aut angelica, quod multùm refert, quibus uerbis, aut ſignis homines utantur. 23.297

Damnato ad mortem quòd non liceat ſe fame interficere. 28.144.

Damnato ad mortem quòd liceat fugere, & non mortem expectare. 29.144

Damnato ad mortem per cicutæ ſeu ueneni hauſtum, quòd ſibi liceat illud haurire, nec uidetur ad eius mortem cooperari. 30.144

Dare pecuniam, ut ab officio non deponatur, an ſit ſimoniacum. 15.239

Defectus, & imperfectio, uel priuatio uſus rationis, unde ſemper, uel ex maiori parte proueniat. 11.337

Deliberatio prima, quòd ſit ex cauſis non naturalibus uel prorſus extrinſecis, puta uel à Deo, uel ab angelo. 21.348

Deliberans primo, quòd non habeat in ſua poteſtate prius deliberaſſe. 22.350

Deliberans primò, quòd non tenebatur prius deliberaſſe. 25.350

Deliberans primò, quòd potuit primò deliberaſſe. 23.350

Deliberatio, q. non poßit cadere ſub præcepto. 24.350

Deus an naturas rerum immutare potuerit, uel ab initio alias facere, quàm nunc ſunt. 4.116

Deus quòd naturas rerum mutare non poßit, ab authore probari uidetur. 5.117

Deus quòd creauerit hominem ſine inclinatione mala, qua appetitus inclinat ad malum. 8.121

Deus quòd dederit appetitui naturalem inclinationem ut obediret uolũtati. 9.121

Deus quòd ſolus ſit uitæ & mortis

mortis dominus, nõ homo, qui quantum ad hoc, est peculiariter seruus Dei, unde occidere seipsum, est Deo iniuriam facere. 23.138

Deus *suppositio quòd nõ possit rerũ naturas mutare, quomodo fecerit hominẽ cum naturali inclinatione ad malum.* 6.120

Deum *antequam cognoscat quis, aut possit cognoscere, quòd potest peccare.*

Dispositio *qualitatum naturaliũ, quòd nulla sine speciebus sensibilibus sit sufficiens ad usum rationis.* 14. 342

Doctorem *nõ habens extrinsecum, quomodo uideatur pro tempore posse habere de Deo ignorãtiam inuincibilem.* 3.355.

E

Ecclesiastici *liber an deberet recipi inter Canonicas scripturas, quomodo in ecclesia dubitatum fuerit, & quid tenendum.* 1.322

Educatio *docta, & instructio, quòd multum faciat, ut aliquis perueniat ad usum rationis.* 15.342

Emptio, *aut uenditio eorum, quæ iure positiuo sunt spiritualia, quòd sit iure diuino prohibita.* 15.175

Emptio, *& uenditio rerum spiritualiũ quòd nõ solùm sit simoniaca, sed omnino dispensatio, & permutatio non gratuita.* 8.168

Emptio, *aut uenditio, quòd non solùm ex intentione apud idololotras fuerit crimen simoniæ uerum, sed etiam ex obiecto.* 21.187

G

Gloria, *quòd respondeat gratiæ, & non charitati.* 7.15

H

Habitus *data opinione quòd non augeatur per actum remissum, an plures actus remissi possint augere habitum, uel etiã unus actus continuatus possit æquiualere in merito uni actui intenso. Et de triplici istius quæstionis opinione.* 15.33

Habitus *in augmento, an habeatur respectus nõ ad intensiorem actus gradualem*

lem meritorij, sed ad quantitatem meriti. 14. 31
Habitus, quòd sine dubio augeatur, quandocunq; peruenitur ad meritũ æquale cum actu intenso, siue per multiplicationẽ, siue per intensionem. 19. 37
Homicidium de iure naturali & diuino permissum, quibus sit commissum. 19. 130
Homo ad cognoscẽdum quòd Deus est, saltem sine doctore extrinseco, quòd indigeat non paruo tempore etiam post capacitatem ad percipiendum disciplinas. 2. 354
Homo cùm omnis primũ ad usum rationis peruenerit, etiam si Deũ neq; cognoscat, neq; possit cognoscere, quòd potest bene moraliter agere. 7. 363
Homo in Barbaria educatus, sine instructione, & mentione deitatis, & religionis, an cum primũ peruenit ad usum rationis, possit Deum cognoscere. 1. 353
Homicidium omne ex intentione, quòd præcepto de nõ occidendo est prohibitũ seu publicæ, aut priuatæ personæ, præter quàm id, quod reip. aut publicis magistratibus, & principatibus fuerit cõmissũ. 20. 130
Homini omni ad usum rationis peruenienti, an pateat aditus ad salutẽ, & uitam æternam. 2. 324
Homo, quòd in multis casibus quamuis licitis uijs possit uitam seruare, quomodo tamen nõ teneatur. 24. 139
Homo, quòd non inclinetur ad diligẽdum se plus quàm Deum, uel proprium bonum plus quàm commune. 10. 121
Homo, quòd semper teneatur defendere uitam proximi. etiam quandocunque licet, quòd non sit exploratum. 25. 141

I

Inclinatio hominis quamuis sit ad malum, quòd tamen nõ sit mala, malitia moralis, quandiu manet intra terminos appetitus. 7. 120
Inclinatio hominis, quatenus homo est, quòd sit bona,

na, & quòd ad nullum malum, aut uirtuti contrariũ inclinet, argumentis probatur. 3.107

Instans primum, uel tempus usus rationis, in quo quis primo deliberat actu, quòd non sit in quo potest primò deliberare. Et multa de usu rationis. 27.351

Interficere seipsum, quòd semper sit impium, ostenditur. Et multa de inclinatione naturali, an sit semper prona ad malum. 2.102

Interficere seipsum quare nõ liceat. 21.231

Interficere licebat adulterã, aut furem in lege Moysi, quod et licuit ante legem, & licet in lege euangelica. 14.128

L

Legans monasterio perpetuò mille aureos ut faciat sacrum perpetuò: hæres dicit, Ego dabo beneficium simplex huius missæ, et dimittatis legatum, an hoc sit licitum, & fieri possit sine simonia. 13.238

Legis diuinæ duplex consideratio. 10.375

Liberum arbitriũ aut usum rationis habere, quòd non sit idẽ, quod habere actus intellectus, & uoluntatis. 4.326

Liberũ arbitriũ habere, q, sit idẽ, quod esse dominũ suarum operationum. 6.333

Liberum arbitrium habere, aut usum rationis, quòd non uideatur idem, quod posse agere, & non agere positis requisitis ad agendum ad sensum, in quo cõmuniter doctores capiunt. 5.328

Liberum arbitriũ, quòd duo requirat, & quomodo secundum potest esse sine primo, & posito primo, ponitur secundum. 7.335

Locare operas in administratione spiritualium, quòd non plus liceat, quàm ipsa spiritualia, neq; licet aliquid recipere pro labore spirituali magis, quàm pro ipso spirituali. 20.243

Lumẽ productum quòd nunquam sit maius, quàm sit lumen in maximo luminoso.

noſo.10.22

M

Magia aliqua,quòd dici poſſit naturalis,& ſine commercio alicuius ſubſtantiæ ſpiritualis.7.263.

Magia ars an omnino ſit, hoc eſt, an inter mortales ſit ars, uel facultas aliqua ad uidendum, & faciẽdum opera illa mirabilia, quæ de magis ſcribuntur, & circunferuntur.1.251

Magica ars alia, præter naturalẽ,quæ non uiribus & cauſis naturalibus cõſtet, ſed poteſtate aliqua,et uirtute immateriali,& ſeparata nititur,q, non ſit dubiũ quin reperiatur.9.267

Magiæ ſtudioſi qui fuerint, recenſetur.8.266

Magi,an uirtute dæmonũ poſſint corpora localiter trãſmutare,hoc eſt, per multa terrarũ ſpatia,ſumma (ut ferunt) celeritate.32.307

Magi, an poßint cogere dæmones pro ſuo arbitrio. 20.294

Magi,an poßint miracula facere.18.288

Magi an poßint pro ſuo arbitrio immutare corpora, alterãdo ſecundũ qualitates,immittendo,& contrà ſanitatẽ præſtando.34.311

Magi, quòd aliquando poſſint cogere dæmones.25.298

Magi,q, in ſuis operationibus nõnunquã utantur facultate ſolũ naturali.15.280

Magi, quòd nihil operentur, aut poteſtate diuina, aut angelica.14.279

Magi, q, non poßint miracula facere, pbatur.19.291

Magi quomodo poßint dæmones cogere,& non alio modo.26.299

Magi,quo habentes fœdus cũ aliquo dæmone principali, poſſunt cogere inferiores dæmones,nõ aũt ipſum principalem dæmonem.Et quid ſi non habeant tale fœdus.27.299

Magorũ facta licet nonnulla fiant ſolum per illuſionẽ, & præſtigia ſenſuũ, quòd tamen quædam in re, & ſecundum exiſtentiã fiant, oſtenditur.5.256

Magorum mirabilia opera, an ſint omnia opera naturalia

turalia, hoc est, ex causis mere naturalibus, & non dependentia à substantijs separatis. 6. 260

Magorum operationes supra facultatem naturalem, quòd malorum dæmonum potestate, & uirtute fiant. 16. 281

Magorum opera, quòd non omnia sint uana, & conficta. 3. 255

Magorum tota opera, & efficacia in quo fundetur. 28. 300

Magica ars, esto quòd sit alicuius efficaciæ, an tota eius uis referatur circa illusionem sensuum, & imaginationis, ita quòd ex parte rei nullus sequatur effectus, nec sint entia uera, et naturalia, quæ à magicis fiunt, sed solum præstigiũ & illusio oculorum. 4. 266

Magicorum opera, et mirabilia quæ referũtur, quòd eorum plurima sint falsa, conficta, & ex hominum uanitate credita. 2. 254

Mediatores, qui pro alijs cõtractus constituunt simoniacos, quas incurrant pœnas. 24. 138

Meritum, quòd nullo modo proportionetur intentioni. 16. 35

Meritum quòd non duplicetur, nisi sit magna continuatio & perseuerantia in actu. 18. 37

Meritum, quòd non solum proportionetur intẽtioni, sed quòd nec magna multitudo actuum remissorum æquiualeat uni actui intenso, uel perfecto. 17. 35

Mortem sibi cõsciscere, quomodo sicut semper impiũ, ita & mortem non solum patienter, sed liberè etiam subire, quòd plerunq; consilium, nonnunquam præceptum sit. 1. 101

N

Nauigare, & artem militarem exercere etiam cum magno uitæ periculo seruatis circunstantijs (quæ magis & utplurimũ contingunt) q, liceat. 32. 146

O

Obiectum uoluntatis, quòd non sit solum uerum bonum.

num.22.135
Occidere hominem reipub. nociuum ex intentione, q. stando in iure diuino & naturali liceat.18.129
Occidi quomodo dupliciter potest homo, scilicet ex intentione, & præter intentionem.17.129
Opera aliqua quòd fiant à magis, quæ nullo modo fiunt per gratias, & econtrariò. 13.278
Opera eadem, uel similia, quòd fiant per artes magicas, & per gratias gratis datas.12.277
Opiniones secunda & tertia de augmento charitatis, in quo differãt à prima. 8.17

P

Panem quòd liceat alteri cedere cum certa pernicie propriæ uitæ.26.142
Papa quòd det clerico pensionem aliquam in alieno beneficio, solùm quia sit clericus, quòd non uideatur irrationabile. 51.217
Papa, quòd in simonia, quæ est iuris diuinis, æquè, uel grauius possit esse simoniacus, sicut alius homo. 39.202
Papa, quòd non possit uendere sine uitio simoniæ ex quacunque causa quodcunque beneficium ecclesiasticum.44.208
Papa, quòd non possit dare alicui pensionem aliquam super beneficio ecclesiastico, qui nullum ministerium neq; temporale, neq; spirituale conferat in ecclesia, uel alio pio titulo. 50. 216
Papa quomodo si alicui iusto uel iniusto titulo concedat pensionem sine obligatione ad aliquod ministerium spirituale, neque ratione alicuius tituli spiritualis, quòd talis pensio sit merè temporalis. Et quomodo uendere talem pensionem, aut redimere pretio quolibet temporali, nõ sit simoniacum.52.217
Peccatum ueniale quòd nullum possit tollere gratiã, dato quòd quilibet tollat partem gratiæ.22.44
Pecunia ex contractu simo-

niacoacquisita, cui debeat restituì. 6. 231

Pensio, quæ assignatur alicui super beneficium alterius ratione alicuius ministerij spiritualis, quòd licita est, & honesta. 48. 214

Pensio quæcunq;, quam Papa imponet, uel ex officio suo, uel ad alterius supplicationem, modò non sit causa permutationis, & sine obligatione ad aliquod officium, uel ministerium spirituale, quòd possit uendi, & sine simonia redimi. Et an talis pensionarius teneatur ad officiũ canonicum. 54. 219

Pontifices parati ad dãdum beneficia cõsanguineis sine deliberatione, quòd peccent mortaliter. 29. 193

Præbendæ omnes militares, quas commendas uocant, quòd authoritate Papæ possint uendi pro tẽporali sine uitio simoniæ. 45. 212

Præceptum de non occidendo, quòd sit iuris naturalis, & non positiui, sicut etiã alia præcepta Decalogi. secũdum authorẽ. 12. 128

Præceptum de nõ occidendo, q̃ semper fuerit æquale & ante legem, & in lege, & tempore Euangelij. 13. 128

Præcepto de non occidendo, quòd non magis prohibeatur homicidium authoritate publica, quàm priuata. 16. 129

Præcepto hoc, Non occides, quomodo prohibeatur omne homicidium, quòd stando in lege naturæ sola est malum, & irrationabile. 14. 118

Præcepto, Non occides, quid & qualiter homicidium prohibeatur. Et de triplici opinione ibi recitata. 11. 125

Præstare obsequium pontifici, ut illa ratione posset consequi beneficium, an, & quando esset simoniacum. 37. 201

R

Ratio quòd nusquam sit, nec unquam fuerit, nec erit, ubi non sit notitia de Deo probabilis, & cui omnes teneantur rationabiliter credere. 4. 356

Rationis ad usum peruenies, qui nec Deum cognoscit, nec potest cognoscere, an talis possit peccare. 8.366

Rationis ad usum quilibet perueniens, quòd non teneatur se conuertere in Deum explicitè, distinctè, & formaliter. 12.388

Rationis ad usum quilibet perueniens, quòd ad actū aliquem teneatur statim. 13.290

Rationis ad usum quilibet perueniēs, quòd teneatur se conuertere in bonum eo modo, quo tunc potest, id est conformiter ad cognitionē, quam habet. 14.392

Rationis ad usum quòd quis possit uenire, & pro aliquo tempore non habere notitiam Dei. 5.859

Rationis ad usum ueniens, etiam si Deum non cognoscat, an talis possit bene moraliter agere. 6.359

Rationis usus primū instans, quid sit, uel quid uocetur. Et quomodo deliberatio non possit esse libera, id est, quòd sit in potestate hominis deliberare, & non deliberare. 20.348

Rationis usum an possit aliquis habere circa aliquam materiam, uel obiectum, et non circa aliud, utpote circa materiam iustitiæ, & non circa materiam temperantiæ, ut sit capax rationis ad deliberādum, & iudicandum an sit iurandum, uel nocendum alicui, & non sit capax ad consultandū, de fornicatione sed habeat se ad illam tanquam puerum. 16.344

Rationis usum an possit habere quis ad peccandum uenialiter prius, quàm ad peccandum mortaliter. 11.380

Rationis usum habere, quid sit. 3.326

Rationis usum habere sufficientem circa artes, qui nō habeat circa materiam moralem, quòd uideatur possibile. 17.344

Rationis usum habere sufficientem circa artes, qui non habeat circa materiā moralem, licet sit possibi-

le, quòd tamen uideatur multum difficile, uel nunquàm contingere. 18.344

Rationis usum habere circa aliquam materiam moralem, & non circa omnes, putatur impoßibile ab authore. 19.345

Rationis usum quòd unus homo habeat, & alius non, unde proueniat. 8.336

Rationis usum, quòd unus homo habeat, & alius nõ, poßit immediatè ex parte intellectus, & uoluntatis prouenire. 9.337

Rationis usum quòd unus habeat, & alius non, quòd talis differentia non proueniat ex aliquo habitu à natura concreato, uel intellectu, uel in uoluntate, qui ßolum ßit in uno, & non in alio, uel in puero, & in adulto. 10.337

Recentiorum dictum, quòd detur tempus induciarum, in quo aliquis poteßt deliberare, quòd ßit uanum. 26.350

Religionem ßi quis ingrediatur, an ille, qui eum recipit, poßit pro ingreßu aliquid recipere. 12.237

Reßitutio pecuniæ acquißitæ per ßimoniam, quòd non ßit de iure diuino. 4.226

Reßitutionem qui bona fide fecit dando pauperibus, uel illi, à quo accepit, an teneat factum. 7.233

S

Sacrificare homines Deo, ut faciunt barbari, quòd ßit & iure diuino, & naturali prohibitum. 7.79

Sepulturæ ius priuatum an poßit quis obtinere, & quomodo. 11.237

Simonia aliqua, quòd ßit omnino præcisè de iure potiuo. 16.175

Simonia an contingat circa penßiones. 47.213

Simonia an ßit aliqua circa ea quæ ßunt uerè ßpiritualia, & ßecundum ße & de iure poßitiuo. Et quomodo contractus aliquis, uel per mutatio ßpiritualis ßecundum ße de iure poßitiuo ßit ßimoniaca. 17.176

Simonia omnis an ßit iure diuino prohibita, & an aliqua

qua sit solùm iure positiuo.12.172
Simonia, quomodo fortè esset, si preces, fauor, uel laus, & amicitia deducerentur in pactum.35.198
Simonia, quomodo esset, si fauor, uel preces, uel laus resoluerentur tanquam pretium in aliquod temporale.34.198
Simonia, quòd sit diuino iure prohibita.10.170
Simonia, quòd sit illicita. 9. 170
Simonia, quòd sit iure naturali prohibita.11.171
Simonia, quòd in beneficijs uniuersaliter sit de iure positiuo, & quomodo Papa possit ea uendere sine rationabili causa, & sine uitio simoniæ, uel ex rationabili causa, & sine peccato.42.205
Simonia, quòd non committatur nec circa scientiam, aut doctrinam, nec circa aliud spirituale à spirituali creato.5.163
Simoniæ crimen, an inter paganos, & idololatras esse potuerit.20.187
Simoniæ definitio. Et quid sit. Et unde sit dicta simonia. 2.159
Simoniæ in definitione, quid per emptionem, & uenditionem intelligitur.7.168
Simoniæ peccatum quòd in lege naturæ & potuerit esse, aut fuerit.19.186
Simoniæ obiectũ circa quod uersetur.3.160
Simoniæ peccatum, quòd in lege scripta et potuit esse, & fuit.18.185
Simoniacus an possit esse summus pontifex.38.202
Simoniacus an sit is, qui timore, cõsanguinitate, precibus, & fauore, aut obsequio administrat spiritualia.22.188
Simoniacus an de iure naturali et diuino teneatur restituere, an de solo positiuo.3.222
Simoniaci pœna quæ sit.16. 239
Simoniacum quòd sit, conferre officium ecclesiasticum pro obsequio, quum tale obsequium est pecunia

estimabile, ita quòd tandem resoluitur in commodum temporale. Et quid si non adsit pactum expressum, uel tacitum.36.199

Simoniacum quòd nõ sit conferre spirituale sine respectu ad commodum, uel incommodum, timore indignationis.23.189

Simoniacum utrum sit sperare beneficium spirituale ex officio temporali. 40.204

Simoniacè consecutus beneficium ecclesiasticũ, quòd nihil iuris acqrat in illo, neq; faciat fructus suos, sed teneatur resignare.2.222

Spirituale dare digno ex timore mali temporalis, ut uitæ, aut exilij, aut carceris, dummodo hoc non redundet in aliquod commodum temporale, uel sit ex pacto, aut aliquo modo per modum pretij, quòd non uideatur esse malum. 25.190

Spirituale dare ex timore alicui digno, quòd uideatur non esse malum.24.189

Spirituale, quòd in hoc proposito uocetur donum Spiritus sancti.6.166.

Spirituale quid dicatur in materia simoniatica.4.161

Spiritualia promittere, an sit simonia.41.205

Spiritualia, quòd sint aliqua iure positiuo. Et quæ sint. 14.174

T

Titulus triplex recipiendi temporalia mediantibus spiritualibus describitur. 18.240

Temporale esto, quòd non possit aliquis recipere pro spiritualibus titulo emptionis & uenditionis, an aliquo titulo spirituali possint esse media ad aliquod temporale.17.239

V

Vendere Canonicatum simplicem, quòd nõ minus sit simonia, quàm uendere beneficium cum cura animarum.43.207

Verba nulla, nec exorcismi, quòd non habeant efficaciam infallibilem ad cogendum dæmones, & arcendũ illos,

illos, ita ut semper sortiantur effectum suum. 24. 298
Vitam per abstinentiam ex intētione reddere breuiorem, quòd non liceat. 12. 95
Vitam quantum quis per alimenta posśit protelare, & non teneatur. 13. 96
Vitam reddere breuiorē per abstinentiam, utrum liceat. 11. 95
Vitæ conseruandæ ratione quòd non sint omnia media adhibenda, sed solum illa, quæ ad hoc sunt de se & ordinata, & congrua. 35. 148
Vita quòd non sit in discrimine pro bonis temporalibus ponenda, inter quæ gloria, honor, & fama reponuntur. 36. 149
Vitam abbreuiare quòd nullo modo liceat, etsi non teneatur omnia media licita etiam facere, ut sibi uitam reddat longiorem. 33. 147
Vitam suam propriam quòd quilibet teneatur conseruare per alimentum, probatur. 1. 51
Vsum rationis posse tolli per habitus existentes in uoluntate, puta ex odio, uel amore uoluntatis, quòd sit probabile, posita etiam omnimoda rectitudine ex parte sensitiua. 13. 340
Vti alimētis, quibus uita breuior reddatur, quando non esset peccatum. 14. 96
Vti quis singulari inedia, & cibo nocuo, quando non excusaretur à mortali peccato. 15. 97

FINIS.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA - SALAMANCA

cu, q̃ accepisset Jesus, accetu dixit, cõsiona
tu est, etc. Joa. 19.

nulla est res ita est clara et manifesta sicut
diuinus amor, nec fortior ipso, q̃ magna est
cecitas nr̃a q̃ nõ videt hęc et duricies, q̃ nõ emolit
eisdem; hunc ubiq; trr̃arũ et tẽpis beneficiorũ
est vide, sed in chr̃i redemptione clarius patuit
de quo in psentiarũ etc, ave

notm ex sanctorũ doctrina, 6. sunt gradus amoris,
scil, amare, cõsulte succurrere, pati, dimi
ttere, exꝫ dare; ~~de~~ 1m est sanitas cordis,
cui ptinet pax angelorũ, gl̃ia etc, de cõtrariũ
ait Joan, q̃ odit manet in morte; 2m est bonorũ ho
minũ, uterat phobias; crimen nõ malorũ ~~et~~ deo
odibilium, de 3. bti mites etc, de 4. bti paci
fici, de 5. bti mites, de gesto, sic luceat lux,

notꝫ horũ fuit dominus magr, Joa, rogo pater vt
de 2o, ambulate dum lucem, etc de tercio, ceci
vident etc de 4. ego demonium etc, de 5.
agnus dicebatur, de 6. exm n. de di, et dis
cite a me, etc,

notm hęc melius in cruce sicut sapiens magr
in chathedra, quã quidem ascendere a multo
tpe, vehementer desiderabat, baptmo habeo
baptẽ etc, ut melius ibi nobis depingeret suam
q̃ nos volũtꝫ ideo ei spõsa opportet investi
gare hoc mistꝫ indica mihi quem etc,
accedamus q̃ cũ fiducia adtro, etc, vbi vide
primũ fornacem ignis in chr̃i, pectẽ de quo

~~ge~~ ipse, ignem veni etc. de 2°, non ne
opportuit etc. de 3°. ad heb, communicabit etc.
et nunc princeps mundi, etc, et si cognovit etc, de 4°.
passionem maximam, videte si est dolor, etc,
qui sane in multis cognoscitur, in sudore, in
complexione, in solitudine, in ch^te in gravi
t^e, et quantitate, etc, de 5. pr ignosce
illis, de 6. petrus, chr passus est etc,
not^m chr passio fuit alieni debiti solutio
ps. q̄ nō rapui tunc etc,
not^m crudelitas hominum et chr, charitas ar
dentissima in datione aceti et morte filii etc.
luctus creaturarum,
tristicia virginis.




1.
6164